



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>







AMESII
THEOLOGIÆ MEDULLA.

PRINTED BY BALLANTYNE AND COMPANY
EDINBURGH AND LONDON

GULIELMI AMESII
THEOLOGIÆ MEDULLÆ.

Liber Primus.

REPUBLISHED FOR THE USE OF STUDENTS.

BY


JAMES S. CANDLISH, D.D.

PROFESSOR OF THEOLOGY, FREE CHURCH COLLEGE, GLASGOW.



LONDON:
JAMES NISBET & CO., 21 BERNERS STREET.
MDCCLXXIV.

141. m. 255.



PREFACE TO THIS EDITION.

SOME account of the author of the following treatise may form a suitable introduction to this new edition of it; for his personal character and life were such as to commend his writings to the favourable attention of those interested in evangelical religion and theology. Though known exclusively as a Latin writer, William Ames was an Englishman by descent and birth, having been born in Norfolkshire in 1576. He received a university education at Christ's College, Cambridge; where he was especially attracted and influenced by the teaching of Perkins, the celebrated Puritan preacher; and so distinguished himself that he obtained a fellowship in his college. Indeed, he would have been appointed Master of Christ's College, had he been willing to conform to the ecclesiastical ceremonies then enforced; but having adopted the views of the Puritans in reference to them, he conscientiously refused to do this. The same scruples caused him afterwards to be refused induction to Colchester by the Bishop of London, when he had been called

by the people of that town to be their minister. As at this time the Puritan preachers were all silenced in England by the High Commission under the lead of Archbishop Bancroft, some of their wealthy friends enabled Ames, along with Robert Parker, to remove to Holland ; and in that land he found, though not without still further difficulty and delay, a field of active service to the cause of truth and sacred science. His first place of residence there was Leyden, where he translated into Latin a work by William Bradshaw in vindication of the Puritan principles. He was afterwards, for a time, chaplain to the English forces at the Hague, and while there married the daughter of Dr Burgess, his predecessor in that office.

The controversy raised by the peculiar opinions of Arminius was then at its height in Holland, and several acute and powerful works were contributed to the defence of Calvinism by the English exile. He first discussed in pamphlets one or two of the points in dispute, with Grevinchovius, of whom he was considered to have the advantage ; and afterwards he published two treatises on the whole controversy, the one entitled, "Coronis ad Collationem Hagiensem," examining the statements of the Arminians at the Hague Conference, and the other, "Anti-Synodalia Scripta Remonstrantium," discussing those that they made to the Synod of Dort. At that memorable Assembly he was present, though not as a member ; and he sent reports of its proceedings from time to

time to King James' ambassador at the Hague. After its rising, he was employed in the instruction of some theological students who were supported at the University of Leyden, by the liberality of certain Amsterdam merchants; and it was for their use that he composed the "Medulla Theologiæ," which he afterwards published. The influence of the English prelatical party, however, was still exerted against Ames, and prevented his being appointed a professor in Leyden; but in 1622 he was called to the chair of divinity in the University of Franeker, in Friesland. In this position he published, besides some smaller treatises and exegetical works, a book on casuistry, "De Conscientia et ejus jure," one of the earliest Protestant treatises on that subject, and also his largest work, "Bellarminus Enervatus," a complete though concise reply to the great Romish champion. After discharging the duties of his professorship for nearly eleven years, having begun to find the climate of Franeker too severe, he accepted an invitation to become pastor of the English congregation at Rotterdam, but his health had become so infirm that he did not benefit by the change. Then he resolved to remove to New England; but before he could do so, he was cut off by asthma at Rotterdam in November 1633.

William Ames is testified by those who knew him, to have been an eminently pious man; his history proves his strong conscientiousness and willingness to suffer for what he believed to be the cause of

Christ; and his works exhibit the learning, acuteness and spirituality of his mind. He belongs to the later race of Reformed theologians, who are indeed not to be compared in power of mind and freshness of thought to those heroes of the faith, Luther, Melancthon, Zwingli, and Calvin, who laid the foundations of Protestant theology. But among the dogmaticians who succeeded them, he is entitled to a very high place, combining brevity with fulness and accuracy of statement, and breathing into all his reasonings a genuine and earnest spirit of Christian feeling. The value of his works may be judged from the opinion expressed by two of the most able modern theologians of different schools. Dr Cunningham says, "Ames or Amesius, whose writings on the Popish controversy, in reply to Bellarmine, cannot be spoken of except in the very highest terms of commendation, has also written several very able works against the Arminians." "A most zealous and uncompromising advocate of Calvinism," he yet "thought that Arminianism in its mitigated form was not to be reckoned a heresy, but only a dangerous error in doctrine tending to heresy." (Historical Theology, ii. p. 578). And Ritschl reckons Ames as equal to the Lutheran Baier in precision; while in genius, and the faculty of combination, he thinks that he surpasses him, and also the most of the Calvinistic theologians. (Rechtfertigung und Versöhnung, i. p. 284.)

The "Medulla Theologiæ" passed through several editions, and was finally included in the collection of Ames' works published in five volumes in 1658. An English translation was published by order of the Long Parliament in 1642, as "a work useful for this season," and it must have been familiar to the divines of the Westminster Assembly. Some traces of acquaintance with the "Medulla" may perhaps be observed in the arrangement of doctrines in the Larger Catechism (Comp. Ans. 6 with Med. Lib. i. c. iv. 8, 12; vii. 1, and viii. 1). Of the later dogmatic theologians, Van Maastricht, who is one of the very best, has most nearly followed Ames' plan, and expanded his thoughts.

The first book of this work, comprehending the whole of Dogmatic strictly so called, is now republished in the original Latin; mainly for the purpose of supplying the want of a brief theological text-book, in the use of which the study of Christian doctrine can be combined with exercise in Latin, a mastery of which is so important to the theologian. It is also hoped that the making more accessible a work of such intrinsic merit may be of some slight service to sound theology; and may tend to promote the study of the treasures of thought that lie too much neglected in the Latin works of the great Protestant divines. The book is reprinted from the edition of 1648, with the correction of some typographical errors; and a few notes have been added, simply to

explain some scholastic distinctions that are less familiar to students now than in the author's time. These have been couched in Latin, for the sake of brevity and harmony with the text. The original dedication to certain merchants of Amsterdam has been translated into English, as it records and justly commends a way of doing good that is as needful and useful now as it was two centuries ago.

TRANSLATION OF THE ORIGINAL DEDICATION.



To the pious and benevolent merchants, who at their own expense have provided for the studies of various poor youths in view of the holy ministry.

I DOUBT not, honoured gentlemen, that that divine admonition of our Lord has very much weight with you: "Take heed that ye do not your righteousness before men, to be seen of them. . . . When thou doest thine alms, do not sound a trumpet before thee. . . . Let not thy left hand know what thy right hand doeth." Hence, to confess the truth, I have felt thrown in my way a scruple and serious doubt whether I ought to bring before the public what you, according to the Lord's precept, have done in secret. But yet, since the chief apostle of the Lord did not hesitate to make known to all the grace of God bestowed on the churches of Macedonia (2 Cor. viii. 1), and the present state of the Church


seems to demand that that grace of liberality be promoted in every way, I have thought it right rather to do some violence to your modesty, than to abstain from the service, the effect of which may perhaps be, (as the apostle declares of the Corinthians), that your zeal may provoke very many (2 Cor. ix. 2). There is indeed greater brilliancy and prospect of worldly gain in any common commercial enterprise: but if all things be rightly weighed, the trade of neither Indies can be compared with this heavenly commerce, where earthly and perishing goods are laid out, and there are received spiritual blessings; and these to last for ever, according to that word of the Lord: "Make to yourselves friends of the mammon of unrighteousness, that when ye fail they may receive you into everlasting habitations."

What I have said is a good reason why I wished your names to appear in this dedication. There is added, however, also this, that seven years ago you committed to my charge some of your bursars; which was the first occasion of my extracting this Marrow of Theology, that it might serve their use: and I hope that the progress of some of them under this method of instruction has shown you that success has not been altogether wanting to my design.

When therefore, according to custom, I thought of some dedication of this little book, I considered it to be due to you, who were, so to say, the first authors of the attempt. This I earnestly pray that you may

approve and take in good part. "Now He that ministereth seed to the sower, both minister bread for your food, and multiply your seed sown, and increase the fruits of your righteousness: being enriched in everything to all bountifulness, which causeth through us thanksgiving to God" (2 Cor. ix. 10, 11). Your most devoted

WILLIAM AMES.



PRÆMUNITIO

BREVIS

AUCTORIS

de consilii sui ratione.

QUAMVIS illud mihi non arrogem, ut omnes obloquutorum cogitationes animo meo complectar, varias tamen reprehensiones prævideo, in quas conatus iste (ab optimo certè animo profectus) pro seculi genio est incursum: quarum etiam præcipuis breviter occurrere decrevi.

Quibusdam, et eis quidem non indoctis, totum hoc displicet scribendi genus, quo Theologiæ summa in compendium aliquod redigatur. Grandia scilicet volumina quærent, in quibus laxè possint vel habitare, vel vagari. Quos ego considerare vellem, omnibus non esse vel otium tam pingue, vel ingenium tam vastum, ut perdicem in montibus et sylvis persequerentur; sed postulare potius multorum conditionem, ut nidus ipse, aut sedes rei quam sectantur sine ambagibus demonstraretur.

Quidam autem id non totum reprehendunt, si præcipua capita oratorio modo tractentur, punctim autem in singulis particulis insistendum esse non arbitrantur. At verò quum fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cujusque

modi rapiat, parum tamen teneas, parum apprehendas, nusquam invenias in quo constanter acquiescas: sed quum certæ regulæ traduntur, habet semper lector, ad singulos quasi passus, locum notatum, ubi pedem figat. Erunt etiam qui methodi et Logicæ formæ curam, ut curiosam ac molestam damnabunt. Sed istis mens sanior est optanda; quoniam intelligentiæ, iudicii ac memoriæ artem ab iis rebus amoveant, quæ solæ ferè intelligi, sciri, ac memoriæ infigi merentur.

Non deerunt ex altera parte, qui majorem Logicæ artis accuratationem desiderabunt. Quibus nec potui ego si voluissem, ex propria mea imperfectione, planè satisfacere, nec volui certè in omnibus quantum potui, propter aliorum defectus.

Non paucos futuros suspicor, quibus supervacaneum prorsus videbitur, et actum agere, institutiones hujusmodi edere, post tot summorum virorum in eodem genere labores. In quorum etiam sententiam et ego pedibus irem, si quidquam hujus generis exstaret, quod omnibus omni ex parte placeret. Quod tamen non ita accipi vellem, quasi unquam mihi in mentem venisset, tale quidquam de hoc scripto sperare; sed quod non desperem fieri posse ut duo saltem aut tres subinde in nostra incidant, qui hic aliquid inveniant aptius ipsis ad pietatem erudiendis et excitandis, quam in doctioribus aliorum scriptis observarunt. Quæ conjectura si non fallat, magnum operæ pretium fecisse me existimabo.


Obscuritatis ut arguar a minus exercitatis, non possum non expectare. Quos vellem ego a Cyro didicisse, radorum τὰς διαφάσεις latis luminibus non tam esse suaves. Lumen certè contractum, quamvis exiguum

videri possit, magis tamen illustrat (si quis propius accedat et attendat) quam quod nimia sua dilatazione quasi dissipatur.

Stili ariditas, et verborum quorundam asperitas vitio magno ab iisdem vertetur. Ego verò in illa hæresi profiteor me versari, ut quum propositum est docere, duobus verbis non dicendum esse putem, quod uno dici potest: et eligendam esse clavem quæ maximè aperit, quamvis sit lignea, si aurea non suppetat ejusdem efficacisë.

Postremo si qui sint, qui practica quædam, præcipue in posteriore parte hujus Medullæ, latius vellent explicari, iis posthac (si Deus dederit) satisfacere studebimus peculiari tractatu, quem jam affectum habemus, de quæstionibus, quæ casus conscientisë solent vocari.

Qui alia adhuc vel culpant, vel desiderant, rogatos eos velim, ut candidè mihi cogitata sua impertire dignentur, aut apologiæ justæ, aut emendationi debitæ materiam optatam præbitura.



INDEX CAPITUM.

CAP.	PAG.
PREFACE	v
ORIGINAL DEDICATION	xi
PREMUNITIO BREVIS AUCTORIS	xv
I. DE THEOLOGIE DEFINITIONE VEL NATURA,	1
II. DE THEOLOGIE DISTRIBUTIONE VEL PARTIBUS,	4
III. DE FIDE,	6
IV. DE DEO ET EJUS ESSENTIA,	10
V. DE SUBSISTENTIA DEI,	18
VI. DE EFFICIENTIA DEI,	23
VII. DE DECRETO ET CONSILIO DEI,	28
VIII. DE CREATIONE,	38
IX. DE PROVIDENTIA,	48
X. DE GUBERNATIONE SPECIALI CIRCA CREATURAS INTELLIGENTES,	54
XI. DE HOMINIS APOSTASIA,	59
XII. DE ORTIS EX PECCATO,	64
XIII. DE PECCATO ORIGINALI,	70
XIV. DE PECCATO ACTUALI,	71
XV. DE MORTE CORPORALI,	76
XVI. DE CONSUMMATIONE MORTIS,	78
XVII. DE PROPAGATIONE PECCATI,	80
XVIII. DE PERSONA CHRISTI MEDIATORIS,	82

CAP.	PAG.
XIX. DE OFFICIO CHRISTI,	87
XX. DE SATISFACTIONE,	92
XXI. DE VITA CHRISTI HUMILIATI,	96
XXII. DE MORTE CHRISTI,	103
XXIII. DE EXALTATIONE CHRISTI,	108
XXIV. DE APPLICATIONE CHRISTI,	115
XXV. DE PRÆDESTINATIONE,	119
XXVI. DE VOCATIONE,	127
XXVII. DE JUSTIFICATIONE,	133
XXVIII. DE ADOPTIONE,	139
XXIX. DE SANCTIFICATIONE,	144
XXX. DE GLORIFICATIONE,	150
XXXI. DE ECCLESIA MYSTICE CONSIDERATA,	155
XXXII. DE ECCLESIA INSTITUTA,	161
XXXIII. DE EXTRAORDINARIIS ECCLESIE MINISTRIS,	166
XXXIV. DE SCRIPTURA SACRA,	171
XXXV. DE MINISTRIS ORDINARIIS ET EORUM OFFICIO IN CONCIONANDO,	178
XXXVI. DE SACRAMENTIS,	188
XXXVII. DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA,	193
XXXVIII. DE ADMINISTRATIONE FŒDERIS GRATUITI ANTE CHRISTI ADVENTUM,	197
XXXIX. DE ADMINISTRATIONE FŒDERIS A CHRISTO EXHIBITO AD FINEM USQUE MUNDI,	203
XL. DE BAPTISMO ET CŒENA DOMINI,	210
XLI. DE FINE MUNDI,	216

THEOLOGICÆ LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Theologicæ definitione vel natura.

THEOLOGIA est doctrina Deo vivendi. Joh. 6. 68. *Verba vitæ æternæ.* Act. 5. 20. *Verba vitæ hujus.* Rom. 6. 11. *Colligite vos vivere Deo.*

2. *Doctrina* vocatur, non quasi aliena hic esset intelligentiæ, scientiæ, sapientiæ, artis, aut prudentiæ appellatio; hæc enim omnia cuilibet accuratæ disciplinæ, et præcipuè Theologiæ insunt: sed quia hæc disciplina non est ex natura et indagine humana ut reliquæ, sed ex revelatione et institutione divina. Esa. 51. 4. *Doctrina à me prodibit.* Matt. 21. 25. *E cælo: quare ergo non credidistis ei.* Joh. 9. 29. *Nos scimus, Deum esse loquentum Mosi.* Gal. 1. 11, 12. *Evangelium non est secundum hominem. Neque enim ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed per revelationem.* Joh. 6. 45.

3. Reliquarum artium principia, nobis innata, sensu, observatione, experientia et inductione possunt excoli, et ad perfectionem deduci: sed Theologiæ principia

▲

1/5

solida, quæ studio et industria possint ad perfectionem promoveri, nobis non insunt a natura. Matt. 16. 17. *Caro et sanguis hoc non detexit tibi.*

4. Cum autem omnis ars consistat ex regulis, quibus actus aliquis creaturæ dirigitur, et vita sit actuum omnium nobilissimus, circa aliud non potest propriè versari, quam circa *vitam*.

5. Quandoquidem verò illa creaturæ sit vita perfectissima, quæ maximè ad Deum vivum ac vivificantem appropinquat, idcirco Theologicæ vitæ natura est *vivere Deo*.

6. *Deo vivitur*, quando vivitur secundum voluntatem Dei, in gloriam Dei, Deo intus agente. 1 Pet. 4. 2, 6. *Ut voluntati Dei vivat : secundum Deum.* Gal. 2. 19, 20. *Ut vivam Deo : vivit in me Christus.* 2 Cor. 4. 10. *Ut vita illa Iesu in corpore nostro manifesta fiat.* Phil. 1. 20. *Magnificabitur Christus in corpore meo, seu per vitam, seu per mortem.*

7. Vita hæc, una et eadem quoad essentiam, a suo principio permanet in æternum, Joh. 3. 36. et 5. 24. *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* 1 Joh. 3. 15. *Vitam æternam in se manentem.*

8. Quamvis autem in hac vita tam *beatè* quam *benè* vivere contineatur; potiores tamen sunt partes *εὐζωίας*, quam *εὐδαιμονίας* : et illud quod præcipuè ac ultimo spectari debet, non est beatitudo, quæ respicit nostrum commodum, sed bonitas illa quæ ad Dei gloriam refertur. Rectius igitur definitur Theologia per vitam illam bonam, qua Deo vivimus, quam per beatam, qua nobis vivimus : sicut ab Apostolo per synecdochen vocatur *doctrina quæ est secundum pietatem*, 1 Tim. 6. 3.

9. Hæc porrò vita, cum sit spiritualis actus totius hominis, quo fertur ad Deum habendum; et secundum voluntatem ejus constet; hæc autem propria voluntatis esse constet: sequitur primum et proprium Theologiæ subjectum esse voluntatem, Prov. 4. 23. *Ex corde procedunt actiones vita.* 23. 26. *Cedo cor tuum mihi.*

10. Cùm autem hæc vita et voluntas sit verè et propriè praxis nostra perfectissima; Theologiam non communi tantum illa ratione, qua omnes disciplinæ pro fine habent suam *ὑπερθεσίαν*, sed præcipuè, strictè, ac præ aliis omnibus, esse *practicam* non speculativam, patet ex sese.

11. Neque revera quidquam est in Theologia, quod non ad finem ultimum, aut ad media illum finem spectantia refertur: cujus generis omnia directè tendunt ad praxin.

12. Praxis ista vitæ, tam perfectè in Theologia continetur, ut nullum sit in Œconomicis, Ethicis, Politicis, aut Juridicis, catholicæ veritatis præceptum, ad bene vivendum spectans, quod non propriè spectat ad Theologiam.

13. Theologia igitur est omnium artium, ordine doctrinæ accuratè pro nostro proficiendi modo, ultima, sed dignitate prima, et quoad summum finem directrix vel architectonica, a Deo singulariter profecta, de Deo et rebus divinis agens, et ad Deum tendens hominemque deducens: quo respectu non minus rectè *θεολογία* vel *θειουργία* potest vocari, quam Theologia.

CAP. II.

De Theologiae distributione vel partibus.

1. Theologiae duae sunt partes ; fides et observantia. 2 Tim. 1. 13. *Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, cum fide et charitate.* 1 Tim. 1. 19. *Habens fidem et bonam conscientiam.* Ps. 37. 3. *Confide in Iehova, et fac bonum.* Ex istis partibus constabat Theologia Pauli. Act. 24. 14, 15, 16. *Credo omnibus quae scripta sunt, et spem habeo in Deo ; et exercito me ad conscientiam habendam sine offensa.* Eaedem partes fuerunt Theologiae Abraham. Gen. 15. 6. et 17. 1. *Credidit Abraham Iehovæ. Indesinenter ambula coram me, et esto integer.* Easdem postulat Christus a suis discipulis, dum præter fidem requirit, ut *observarent omnia quae præcepit*, Matt. 28. 20. Easdem tractat Paulus in epistola ad Rom. qua summam Theologiae contineri constat. Easdem denique in Ecclesiis voluit doceri. Tit. 3. 8. *Hæc volo te asseverare : ut qui crediderunt Deo, curent bene agendo præire.*

2. Partitionis hujus proprium est, quod in genuina artis cujuslibet distributione requiritur, ut fluat ex objecti natura. Cum enim vitæ spiritualis, quod objectum proprium est Theologiae, principium, et actus primus sit fides, et secundus actus,* vel operatio ex illo principio emanans, sit observantia, necessariò sequitur, istas duas genuinas esse Theologiae partes, nec ullas alias esse quaerendas.

* Distinctio inter actum primum et secundum, in sensu scholasticorum intelligenda est ; secundum quos rei cujuslibet actus primus est ejus esse, actus secundus ejus operari.

3. In veteri Testamento (accommodatè ad statum legalem et servilem) videtur aliquando partitio quædam Theologiæ institui, in *reverentiam Dei*, et *observantiam præceptorum ejus*: secundum illud, Eccles. 12, 15. *Summa est: Deum ipsum reverere et præcepta ejus observa: quia hoc est totum hominis.* Sed metonymice includi in priore parte fidem, apparet ex Prov. 3, 5, 7. *Fiduciam habe in Iehova, ex toto animo tuo, reverere Iehovam, et recede a malo.*

4. Partes istæ duæ, usu quidem et exercitio semper conjunguntur: natura tamen et præceptis distinguuntur.

5. Sic etiam distinguuntur, ordine naturæ, ut fides primum locum teneat, et observantia spiritualis posteriorem. Actiones enim vitales nullæ possunt elici, nisi principio vitæ prius ingenerato.

6. Ex duarum istarum partium reliquiis duæ apud Philosophos quosdam enatæ sunt Theologiæ, Metaphysica et Ethica. Metaphysica enim est Peripateticorum fides, et Ethica est eorum observantia. Hinc utrique harum disciplinarum illud tribuunt, quod summum hominis bonum tradat. De Ethica hoc omnibus notum est. De Metaphysica autem, quam etiam *Theologiam* appellant, sic Suarez disp. 1. sect. 5. n. 43. *In perfectissimo actu metaphysicæ beatitudo hominis consistit. Contemplatur summum bonum, et ultimum finem simpliciter. Divina contemplatio formaliter seu elicitive ad hanc scientiam pertinet.* Theologia igitur in istis partibus recte tradita, Metaphysica et Ethica sua sponte evanescent, postquam ejus distributioni illustre testimonium præbuerunt.

CAP. III.

De Fide.

1. Fides est acquiescentia cordis in Deo, tanquam in auctore vitæ vel salutis æternæ : id est, ut per ipsum ab omni malo liberemur, et omne bonum consequamur. Esa. 10. 20. *Innitetur Iehova, sancto Israël in fide.* Ps. 37. 5. *Devolve super Iehovam viam tuam, et confide in eo.* Jer. 17. 7. *Benedictus vir ille, qui fiduciam habet in Iehova, et cujus confidentia est Iehova.*

2. Credere vulgo significat actum intellectus, assensum testimonio præbentis : sed quoniam consequenter voluntas moveri solet, et extendere sese ad amplectendum bonum ita probatum, idcirco fides etiam hunc voluntatis actum designat satis aptè : quomodo hoc in loco necessario intelligitur. Est enim receptio boni sub ratione boni, et intima unio cum eodem. Joh. 1. 12. *Quotquot exceperunt eum : qui credunt.*

3. Hinc fides fertur in bonum, quod per istam fit nostrum, est actus electionis, est actus totius hominis, quæ actui intellectus nullo modo conveniunt. Joh. 6. 35. *Qui venit ad me : qui credit in me.*

4. Quamvis igitur fides præsupponat semper notitiam Evangelii, nulla tamen datur in quoquam cognitio salutifera, et ab illa quæ in quibusdam non salvandis reperitur diversa, nisi consequenter ad actum istum voluntatis, et ab ipso dependens. Joh. 7. 17, et 8. 31, 32. 1 Joh. 2. 3.

5. Fides illa verè Christiana, quæ locum habet in intellectu, nititur semper testimonio divino, quæ est

divinum : ita autem recipi nequit, nisi ex pio voluntatis affectu erga Deum, Joh. 3. 33. *Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit Deum veracem esse.* Rom. 4. 20. *Corroboratus fui fide, tributa gloria Deo.*

6. Neque tamen quod testimonio solo nitatur, eò est incertior et magis dubia, sed certior quavis humana scientia, ex sua natura : quia in suum objectum sub formali ratione infallibilitatis fertur : quamvis propter imperfectionem habitus ex quo fluit fides, infirmior sæpè appareat assensus fidei quam scientiæ in hoc vel illo subjecto.

7. Deus verò est objectum fidei, non ut in se consideratur, sed quatenus ipsi per ipsum benè vivimus. 1 Tim. 4. 10. *Speramus in Deo vivo, qui est conservator omnium hominum, maxime vero fidelium.*

8. Christus quà redemptor est fidei objectum mediatum, sed non ultimum : credimus enim per Christum in Deum. Rom. 6. 11. *Vivere Deo per Christum.* 1 Cor. 3. 4. *Fiduciam habemus per Christum apud Deum.* 1 Pet. 1. 21. *Per eum credentes in Deum.*

9. In Scripturis vel promissionibus, *enunciationes* continent et exhibent objectum fidei, vocanturque objectum fidei per metonymiam adjuncti. *Bonum* quod proponitur assequendum quà tale est finis et effectum fidei, non propriè objectum ipsum. Illud verò, cujus vi nitimur, in assecutione boni, illud est proprium objectum fidei. 1 Cor. 1. 23. *Prædicamus Christum.* Et 2. 2. *Non statui quicquam scire inter vos, nisi Iesum Christum.* 2 Cor. 5. 19. *Deus in Christo.*

10. Fide hac divina, quæ spectat ad voluntatem Dei et salutem nostram, nulli homini simpliciter credendum,

Deo, inniti Deo, acquiescere in Deo, tanquam in vita ac salute nostra omnisufficiente. Deut. 30. 20. *Adhærendo ei: nam ipse est vita tua.*

16. Hinc assensus ille generalis, quem Pontificii fidem statuunt, non est fides: quia ipsis fatentibus, potest esse sine ulla vita. Jac. 2. 17.

17. Assensus verò specialis, quo statuimus, Dēum esse nostrum Deum in Christo, non est actus primus fidei, sed actus ex fide emanans. Nulla enim est major in te quam alio certitudo hujus veritatis, nec verior ejus apprehensio, antequam te ad Deum fide singulariter applicaveris. Rom. 5. 1, 2. *Justificati ex fide, pacem habemus erga Deum, gloriamur de Deo.*

18. Fides etiam cum sit primus actus vitæ nostræ, quā Deo in Christo vivimus, consistat necesse est in unione cum Deo, quam nullo modo facere potest assensus adhibitus veritati quæ est de Deo.

19. Crediturus etiam porrò cum ex miseræ sensu, et omnimodæ liberationis, cum in se tum in aliis, defectu, necesse habeat, se dedere Deo in Christo, tanquam servatori sufficienti et fideli; deditioem istam facere non potest ullo modo per assensum intellectus, sed per consensum voluntatis.

20. Quamvis in Scripturis aliquando assensus veritati quæ est de Deo et Christo, Joh. 1. 50. habetur pro verâ fide, includitur tamen semper specialis fiducia: atque adè omnibus in locis ubi sermo est de salutari fide, vel præsupponitur fiducia in Messiam, et indicatur tantum determinatio, vel applicatio ejus ad personam Jesu Christi; vel per assensum illum designatur, tanquam effectum per suam causam. Joh. 11. 25, 26, 27.

Qui credit in me, vivet? credis hoc? ait illi: Etiam Domine, ego credo te esse Christum illum, Filium Dei illum, qui in mundum venturus erat.

21. Quod verò fiducia dicitur fructus fidei, verum est de fiducia prout respicit Deum in futurum, et est spes firma: sed prout respicit Deum in Christo in præsentia se offerentem, est ipsa fides. Hinc etiam oriuntur tituli illi, quos Scriptura fidei salvificæ tribuit, quod sit *πειθισις, παραρησια*, 2 Cor. 3. 4. et 5. 6, 7, 8.; Eph. 3. 12; 1 Pet. 1. 13; 1 Joh. 5. 13, 14; *πληροφορια*, Rom. 4. 21, Col. 2. 3; *ὑπόστασις*, Heb. 11. 1.

22. Quod autem vera fides a quibusdam partim in *intellectu* partim in *voluntate* collocatur, illud minus accuratè dicitur, quia est una et simplex virtus, et actus elicit homogeneos, non partim scientiæ, et partim affectuum. 1 Cor. 13. Assensus autem ille solidus Evangelii promissionibus adhibitus dicitur fides, et fiducia, partim quia parit fidem, quæ est assensus generalis: partim quia fluit ex illa fiducia, quæ est assensus specialis et solidus, apprehendens gratiæ jam factæ possessionem actualem. Sic enim nititur fiducia cordis, tanquam medio, vel tertio argumento, cujus vi sola conclusio talis potest inferri. Docet etiam experientia, particularem istam certiorationem intellectus in quibusdam deesse, ad tempus, qui tamen fidem veram in cordibus suis habent interim latentem.

CAP. IV.

De Deo et ejus essentia.

1. In præcedente disputatione egimus de Fide, jam de Deo, qui est objectum, ut agamus, ordinis ratio pos-

tulat: quod ut paullo accuratius fiat, primum de cognitione Dei dicemus.

2. Deus prout in se est, a nemine, nisi a semetipso potest apprehendi. 1 Tim. 6. 16. *Lucem habitans inaccessam quem vidit nemo hominum neque videre potest.*

3. Prout semetipsum nobis revelavit, concipitur quasi ex dorso, non de facie; Exod. 33. 23. *Videbis posteriora mea: facies autem mea videri non potest*, ænigmaticè, non clarè, hoc est nostro more et modo. 1 Cor. 13. 12. *Per speculum, per ænigma, aliquatenus.*

4. Quia nostro more necessariò explicantur illa quæ ad Deum spectant, hinc frequens in istis rebus est modus ille loquendi, qui dicitur *ἀνθρώπων ὁμιλία*.

5. Quia nostro modo etiam ad captum humanum explicantur, hinc multa dicuntur de Deo secundum conceptus nostri rationem, potius quam ex ipsius natura.

6. Aliter eum cognoscere non possumus, ita ut vivamus: neque opus habemus, ut bene vivamus. Exod. 33. 19, 20.

7. Quod revelatum est de Deo, sufficit nobis ad benè vivendum. Deut. 29. 29. *Quæ revelata sunt, nobis et filiis nostris usque in seculum revelata sunt, ut faciamus omnia verba hujus legis.*

8. Hoc autem quod sciri potest de Deo, est ejus sufficientia et efficientia. Rom. 4. 21. *Plenè persuasum habens, eum quod promiserat posse etiam efficere.*

9. Hæ duæ sunt columnæ fidei, consolationis fulcra, pietatis incitamenta, et religionis veræ certissimæ notæ. *Ibidem.*

10. Sufficientia Dei est, qua ipse in sese, sibi et nobis

satis habet. Hinc etiam omnisufficiens* appellatur. Gen. 17. 1. Qua perfectè excludit omnem indigentiam, vocatur *ἀρξία*; quæ est ab ipso Deo non aliunde, vocatur *αὐραρχία*; quæ non sibi tantum, sed et omnibus aliis sufficit, vocatur *παραρχία*.

11. Sufficientia Dei est prima ratio, cur in eum credimus: quia scilicet idoneus est ad vitam nobis suppeditandam. Rom. 4. 20.

12. Sufficientia Dei est in ejus essentia et subsistentia.

13. Essentia Dei est, quæ est Ens absolutè primum. Esa. 44. 1. *Ego sum primus et ultimus, præter me non est Deus.* Apol. 1. 8. et 21. 6. et 22. 13. *Ego sum α et ω, id est, principium et finis: primus et ultimus.*

14. Indicatur hæc essentia nomine Jehovah. Quia vero Dei essentia talis est, hinc sequitur:

15. i°. Deum esse unum et unicum: Deut. 6. 4; 1 Tim. 2. 5; Eph. 4. 6; 1 Cor. 8. 5, 6; Marc. 12. 32; Rom. 3. 29, 30.

16. ii°. Deum esse seipso, hoc est, neque ab alio, neque ex alio, neque per alium, neque propter aliud.

17. Hinc denique expers est potentia illius, quæ dicitur passiva: hinc immutabilis. Ps. 102. 27, 28. *Tu permanes: tu idem es.* Rom. 1. 23. *Gloria incorruptibilis Dei.* Jac. 1. 17. *Apud quem non inest transmutatio, aut conversionis obumbratio.*

* Sic auctoris tempore interpretabantur plerique docti vocem יְהוָה , quasi ab יְהוָה "qui," et יָ , "sufficiens," derivatam. At recentiores linguæ Hebrææ periti etymologiam vocis a verbo יָדָה petunt; itaque per vocem "omnipotens" reddunt.

18. Quia verò hæc essentia non potest sufficienter a nobis comprehendi per actum unum, explicatur a nobis quasi multiplex, per multa scilicet attributa.

19. Attributa vocantur quia potius Deo tribui dicuntur, quam propriè inesse, si prout verba sonant, accipiantur. Ex his enim quæ creaturis videmus inesse, tribuimus quædam Deo, et alia ab ipso removemus.

20. Hæc attributa in Deo sunt unus purissimus, et simplicissimus actus.* Hinc attributorum divinorum natura istis axiomatis, quasi totidem consecrariis, rectè potest explicari.

21. i. Omnia attributa divina verè dicuntur de Deo, tam in abstracto, quam in concreto.

22. ii. Attributa illa, quæ Deo aliquo modo communia sunt cum creaturis, re ipsa conveniunt primo in loco Deo, creaturis autem secundario: quamvis nomina transferantur a creaturis ad Deum, atque adeò primò conveniant creaturis.

23. iii. Attributa divina nullam intrinsecam intensiorem, extensionem, remissionem aut imparitatem admittunt.

24. iv. Attributa divina sibi invicem non contrariantur, sed maximè consentiunt.

25. v. Attributa omnia divina sunt quasi divinæ perfectiones: ita tamen ut omnis imperfectio, quæ hujusmodi proprietatem in creatura comitatur, in hac attributione sit amovenda, et perfectio illius cum eminentia maxima concipienda. Quia vero attributum est divinæ essentiæ

* i. e. "Non sunt nisi una Dei perfectio infinita, quatenus variis a nobis apprehenditur conceptibus inadæquatis."—*Van Maastricht Theologia*, Lib. II. cap. v. § 5.

perfectio formalis, idcirco neque relationes illæ quæ respiciunt creaturas, neque illæ quæ personales vocantur, attributis sunt annumerandæ.

26. vi. *Attributa divina insunt Deo, non tantum virtualiter, et eminenter, sed etiam formaliter,* quamvis non eo modo, quo qualitates insunt creaturis.*

27. vii. *Deo insunt quasi in esse secundo, quia non sunt de formali ratione essentiæ divinæ, concipimus enim Deum esse, antequam concipere possumus, eum esse justum, et bonum. Essentia igitur, existentia, substantia, spiritus, non sunt attributa; quoniam ad primum esse spectant, neque prius quidquam habent cui attribuuntur per modum perfectionis advenientis et qualificantis, ut sapientia, justitia, etc.*

28. viii. *Ab essentia et inter se distinguuntur, non solum ratione (ut dicitur) ratiocinante, sed etiam ratione ratiocinata, ita ut fundamentum distinctionis sit in ipso Deo.*

29. ix. *Ista attributa, quæ in suo formali includunt aliquid essentiæ divinæ proprium, sunt planè incommunicabilia: ut omnipotentia, immensitas, æternitas et similia.*

* Tres hic distinguuntur modi, quibus qualitas aliqua substantiæ inesse potest. 1º. Virtualiter inesse dicuntur quæ non actu sed potentia tantum insunt:

“ Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator.
sapiens operis sic optimus omnium
Est opifex solus, sic rex.”—*Hor. Sat. I. iii. 130.*

2º. Eminenter dicuntur inesse causæ, quæ propriè insunt causato, sicut scriptum est: “ Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?” Ps. 94. 9. 3º. Formaliter inesse dicuntur quæ non potentia tantum sed actu insunt ipsi substantiæ, non rei tantum cujus est causa.

30. x. Quæ communicari dicuntur creaturis, conveniunt illis per analogiam, non prorsus eodem modo, quo Deo insunt, neque tamen planè æquivocè.

31. Attributa Dei explicant, *quid sit et quis sit*.

32. *Quid sit Deus*, nemo potest perfecte definire, nisi qui Dei ipsius habet logicam. Imperfecta autem descriptio, quæ proximè ad Dei naturam explicandam accedit, et a nobis concipi potest, talis est.

33. Deus est Spiritus se ipso vivens. Joh. 4. 24. *Deus est spiritus*; et 5. 26. *Pater habet vitam in seipso*. Conceptus enim (ut quidam loquuntur) formaliter quidditativus Dei, debet esse quasi ultima ratio complens naturam Dei, quasi in perfectissima specie entis: nullum autem perfectiorem conceptum habemus, quam Spiritus seipso viventis.

34. Dicitur *Spiritus*, i°. negativè; quia non est corpus: ii°. analogicè vel per similitudinem quandam; quia in spiritualibus substantiis perfectiones multæ sunt, quæ naturam divinam magis adumbrant, quam corporeum quicquam potest.

35. Dicitur *vivens*, i°. quia maximè Deus ex seipso operatur, non motus ab alio; ii°. quia actio vitalis Dei est ipsius essentia; iii°. quia fons est aliis viventibus omnis entitatis et operationis vitalis. Act. 17. 25, 28. *Dat omnibus vitam et halitum, et omnia. In ipso vivimus, et movemur et sumus*.

36. Dicitur *vivere seipso*, quoniam à nullo, ullâ ex parte, accipit aut esse aut vivere.

37. Hinc primarius Dei titulus, quo ab omnibus idolis distinguitur, quod sit *Deus vivens*. Deut. 32. 40; Ps. 84. 23; Jer. 5. 2.

38. Hinc fides nostra vitam æternam quærens, in Deo solo acquiescit; quia Deus est fons omnis vitæ. Joh. 5. 26.

39. *Quis sit Deus, explicant nobis proprietates illæ, quibus a cæteris omnibus rebus distinguitur.*

40. Ostendunt autem illæ proprietates divinæ, quantus sit Deus et qualis sit.

41. Sub notione quantitatis dicitur, i°. unus; ii°. infinitus; primò internè, quoniam est immensus; secundò externè, quatenus incomprehensibilis; iii°. dicitur æternus. Istiusmodi autem perfectiones, quæ significantur per nomina negativa, ut *infinitas, immensitas, etc.*, includunt semper in significato suo materiali, non tantum negationem imperfectionis sed etiam perfectionis maximæ affirmationem: qua etiam ratione sunt propriè dicta attributa.

42. Unus dicitur non genere, sed unitate illa perfectissima, quæ in creaturis numerica et individualis solet appellari.

43. Infinitus est Deus, quatenus est expers omnis essentiæ limitationis. Ps. 139. 8. *Si scanderem cælos illic es; aut stratum ponerem in sepulchro, ecce ades.*

44. Deus est immensus, quatenus omnis materiæ dimensionis est expers. 1 Reg. 8. 27. *Cæli ipsi, et cæli celorum non capiunt te.* Esa. 66. 1. *Cælum ipsum solium meum est, et terra scabellum pedum meorum.*

45. Hinc fides nullam certam spectat beatitudinis mensuram à Deo communicandam, sed gloriam immensam.

46. Deus est incomprehensibilis, quia omnis ambientis terminationis expers est.

47. Hinc omnipræsens est; quia nullum datur ubi, unde est exclusus, neque alicubi est inclusus.

48. Deus est etiam æternus, quia principii et finis est expers. Ps. 102. 25, 26. Esa. 44. 1. 1 Tim. 1. 17.

49. Hinc est quod fides nostra vitam æternam apprehendit in Deo.

50. *Qualis* sit Deus, explicant proprietates illæ per quas dicitur operari. Istis attribui debent omnes proprietates essentiæ et quantitatis; simplicitas, immutabilitas, æternitas et immensitas.

51. Qualitates istæ concipiuntur, vel sub ratione *facultatum*, vel *virtutum* quibus illæ facultates ornantur.

52. Facultates sunt *intellectus et voluntas*. Unde fides innititur ipsi, qui novit quid nobis opus sit, et vult etiam illud suppeditare.

53. Intellectus Dei est simplex sine omni compositione, discursu, aut repræsentatione specierum. Heb. 4. 13. *Omnia sunt nuda et intime patentia oculis ejus.*

54. Intellectus Dei est immutabilis : non aliter, neque magis unam rem novit, quam aliam : neque magis antea quam nunc, aut nunc quam antè. Act. 15. 18. *Nota sunt Deo ab omni ævo omnia opera sua.*

55. Intellectus Dei est æternus : non incipit neque desinit. *Ibidem.*

56. Intellectus Dei est infinitus ; quia omnes omnium rerum veritates ac rationes percipit. Iob 11. 8, 9. *Sapientia Dei est altior celis : longior terrâ : latior mari.* Vide Ps. 139. 6.

57. Eadem etiam ratione voluntatis divinæ natura debet a nobis concipi.

58. Voluntas Dei est simplex et unica in Deo.

59. Voluntas Dei est immutabilis, quia idem semper

et eodem modo vult. Ps. 33. 11. *Consilium Iehove in seculum consistit.*

60. Voluntas Dei est æterna; quia non incipit velle quod antea noluit, neque desinit velle quod antea voluit. Mal. 3. 6. *Ego Iehova non mutor.*

61. Voluntas Dei dici potest infinita; quia nullam externam habet limitationem.

62. *Affectus* qui Deo in Scriptura tribuuntur, ut amor, odium et similia, vel actus voluntatis designant, vel conveniunt Deo tantum figuratè.

63. *Virtus* est perfectio intellectus et voluntatis, qualis in Deo est sapientia, sanctitas et cetera.

64. Virtus tribuitur Deo, quæ promptitudinem agendi notat: non sub ratione habitus a facultate et actu distincti.

65. Virtutes autem quæ in homine ex occasione peccati et imperfectionis oriuntur, non conveniunt Deo, ut humilitas, castitas, pudor, et similia.

66. Ex istis omnibus attributis resultat illa Dei perfectio, ex qua dicitur *beatus*, 1 Tim. 11. et 6. 15.

67. Hinc fides nostra firmum habet fundamentum; quia nititur Deo, omnis perfectionis, beatitudinis, et gloriæ possessori, et auctori.

CAP. V.

De Subsistentia Dei.

1. Subsistentia Dei est una illa essentia, prout est cum suis proprietatibus hypostaticis.

2. Eadem essentia est communis tribus subsistentiis.

Unde quoad essentiam, subsistentiæ singulæ a seipso esse rectè dicuntur.

3. Nihil insuper essentiæ tribuitur, quod singulis subsistentiis, quoad essentiam, tribui non potest.

4. Quæ vero propriè attribuuntur singulis subsistentiis quoad subsistentiam, essentiæ tribui non possunt.

5. Subsistentiæ distinguuntur ab essentia, ut modi subsistendi, cum eadem concreti, ab eadem absolutè considerata.

6. Inter se distinguuntur ut relata, per proprietates quasdam relativas; ita ut una non possit esse alia: simul tamen sunt natura; neque priores, neque posteriores dici possunt; nisi ordine originis, et modo subsistendi.

7. Cum autem proprietates illæ relativæ sint quasi individuantes, in essentia spiritualiter et perfectissimè viventi; subsistentiæ istæ rectè dicuntur personæ.

8. Sunt autem istæ proprietates non qualitates inhærentes, sed affectiones relatæ; quibus convenit tota illa perfectio, quæ reperitur in creaturarum analogis affectionibus; sed imperfectio nulla convenit.

9. Hinc est quod relativa proprietas in Deo infert personam, quod in creaturis non habet eandem rationem.

10. Subsistentiæ istæ sunt, vel spirantes, ut Pater et Filius; vel spirata, ut Spiritus Sanctus.

11. Spirare, vel emittere, est relatio, non talis, ut per se constituat personam, sed communis duarum personarum.

12. Patris relativa proprietas est *gignere* Ps. 2. 7. *Filius meus es, ego hodie genui te.* Joh. 3. 16. *Unigenitus Filius.* Heb. 1. 6. *Primogenitus*, hinc ordine primus.

13. Filii est *gigni*, id est, a Patre ita procedere, ut ejusdem

essentiæ sit particeps, et naturam ejus perfectè referat, et hinc ordine secundus est. Heb. 1. 3. *Effulgentiâ gloriæ, et character personæ illius.*

14. Spiritus Sancti proprietas est *spirari*, vel emitti et procedere, et a Patre et a Filio. Joh. 15. 26. *Quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus ille veritatis, qui a Patre emanat.* Rom. 8. 9. *Spiritus Christi.* Gal. 4. 6. *Spiritus Filii.*

15. Differentia inter *gigni*, quod convenit Filio, et *procedere* illud, quod proprium est Spiritui Sancto, non potest a nobis propriis verbis explicari, nisi quod Filius procedat a solo Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio, unum simul relatum constituentibus.

16. Potest tamen, aliqua ex parte, similitudine adumbrari; pater nempè est quasi *Deus intelligens*: Filius, imago patris expressa, est quasi *Deus intellectus*: Spiritus Sanctus, emanans a Patre per Filium et spiratus, est quasi *Deus dilectus*. Filius producitur quasi per actum intelligendi vel dicendi, ex intellectu vel memoria fœcunda Patris: Spiritus Sanctus producitur per actum amandi vel spirandi, ex voluntate fœcunda Patris et Filii. Hinc Filius dicitur *sermo, sapientia, imago*, quæ de Spiritu Sancto non affirmantur. Quia vero in creaturis invenitur filii generatio, sed non invenitur quidquam, quod æquè procedit immediatè a duobus æqualiter perfectis (sicut Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio) idcirco Filii processio propriè designatur: sed nec specialis procedendi modus nec speciale nomen absolutè proprium tertiæ personæ datur. De Patre enim et Filio verè dicitur, quod sint Spiritus, et sancti, et Filius etiam procedit a Patre generatione spirituali.

17. Nomen Dei proprium, cum propriis suis titulis, in

Scripturis non tantum Patri tribuitur, sed etiam Filio. Jer. 23. 6. *Iehova justitia nostra.* Joh. 1. 2. *Verbum erat Deus.* Rom. 9. 5. *Deus benedictus in secula.* 1 Tim. 3. 16. *Deus manifestatus in carne.* Apoc. 17. 14. *Dominus dominorum et Rex regum.* Tribuitur etiam Spiritui Sancto, Act. 5. 3, 4. *Ut mentireris Spiritui Sancto, mentitus es Deo.* Act. 28. 25. cum Esa. 6. 9. *Iehova dixit. Spiritus Sanctus loquutus est.* 1 Cor. 3. 16. et 6. 19. 2 Cor. 6. 16. *Templum Dei. Templum Spiritus.*

18. Divina attributa non tantum de Patre affirmantur, sed etiam de Filio. Esa. 9. 6. *Deus fortis robustissimus, Pater æternitatis.* Joh. 2. 25. *Ipse sciebat quid esset in homine.* Et 3. 13. *Filius hominis est in celo.* Et 8. 58. *Priusquam Abrahamus existeret, ego sum.* Similiter etiam de Spiritu Sancto. Ps. 139. 7. *Quo fugiam à Spiritu tuo?* 1 Cor. 2. 10. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.*

19. Operationes Dei propriæ tribuuntur non tantum Patri, sed etiam Filio, et Spiritui Sancto. Electio tribuitur Filio, Matt. 24. 31. *Electos ejus;* et consilium Dei æternum tribuitur Spiritui Sancto, Esa. 40. 13. *Quis expendit spiritum Iehovæ, ut vir à consiliis ejus?* Creatio tribuitur Filio, Joh. 1. 3. *Omnia per hunc facta sunt, et absque eo factum est nihil quod factum sit.* Tribuitur etiam Spiritui Sancto, Ps. 33. 6. *Verbo Domini celi facti sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sustentatio et gubernatio rerum creatarum tribuitur Filio, Heb. 1. 3. *Qui sustinet omnia verbo suo illo potenti, nec non Spiritui Sancto.* Gen. 1. 2. *Spiritus incubabat superficiei aquarum.* Zach. 4. 6. *Spiritu meo, ait Iehova exercituum.* Miracula faciendi propria potestas tribuitur Filio. Act. 4. 10. *Per nomen Iesu Christi adstat sanus;* et 9. 34. *Sanat te Iesus*

Christus. Tribuitur etiam Spiritui Sancto, Act. 2. 4. *Cœperunt loqui linguis, prout Spiritus ille dabat eis effari;* sic Rom. 15. 19; Esa. 63. 10, 14. Communicatio vitæ spiritualis et omnimodæ gratiæ, in vocatione, justificatione, adoptione, sanctificatione, et glorificatione, ubique tribuitur tam Filio et Spiritui Sancto, quam Patri. Institutio, missio, et benedictio ecclesiastici ministerii, tribuitur Filio, Eph. 4. 8, 11. *Dedit dona. Dedit alios Apostolos, etc.;* et Spiritui Sancto, 1 Cor. 12. 11. *Omnia hæc agit unus ille et idem Spiritus;* Act. 20. 28. *Spiritus ille sanctus constituit vos episcopos.* Resurrectio ipsa carnis Filio adscribitur tanquam auctori, Joh. 6. 54. *Ego suscitabo illum,* nec non Spiritui Sancto, Rom. 8. 11. *Suscitabit corpora vestra per inhabitantem in vobis Spiritum.*

20. Divinus item honor et cultus, non tantum ad Patrem refertur, sed et ad Filium, Heb. 1. 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei:* atque etiam in Spiritum Sanctum: quando verbum ejus audiendum proponitur, Apoc. 2. 29; et nomen ejus, unà cum Patre, et Filio invocandum proponitur super baptizandos. Matt. 28. 19. *In nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Invocatur item Filius, et Spiritus, in solempni illa formula salutationis: *Gratia Domini Iesu Christi, et charitas Dei Patris et communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis,* 2 Cor. 13. 13. Et quicquid pertinet ad cultum, refertur tam ad Christum, quam ad Spiritum Sanctum, eo ipso, quod veri Dei cultores, quæ sunt tales, *templa* dicantur non tantum Dei Patris, sed etiam Christi, et Spiritus sancti. Apoc. 21. 22. *Dominus Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.* 1 Cor. 3. 16. *An nescitis vos esse tem-*

plum Dei, et spiritum Dei habitare in vobis? et 6. 19. *An ignoratis corpus vestrum esse templum spiritus sancti, qui est in vobis?*

21. Auctoritas denique et majestas illa, quæ est Dei propria, tribuitur Filio, et Spiritui Sancto. 1 Cor. 2. 8. *Dominus gloriæ.* 1 Pet. 4. 14. *Spiritus ille gloriæ.* Omnis prophetia sacra tribuitur Christo, et Spiritui Sancto. 1 Pet. 3. 19. *Christus per spiritum prædicavit spiritibus qui sunt in carcere.* 2 Pet. 1. 21. *Acti a Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* Act. 28. 25. *Spiritus Sanctus loquutus est per Esaiam prophetam.*

22. Spiritum autem Sanctum in istis omnibus proponi nobis ut personam subsistentem, apparet ex eo manifestè, quod vita, intelligentia, voluntas, et potentia ipsi tribuatur ubique, una cum actibus omnibus propriis personæ.

23. Distinctio etiam ejus a Patre et Filio clare docetur, quando vocatur, *alius, missus, veniens* a Patre et Filio. Joh. 14.

24. Hinc Deus, ut nostræ fidei objectum, est omnimodo sufficiens ad salutem nobis communicandam. Omnis enim charitas, gratia, et communicatio eorum quæ spectant ad benè vivendum, fluunt a Patre, Filio, et Spiritu Sancto. 2 Cor. 13. 13.

CAP. VI.

De Efficientia Dei.

1. Efficientia Dei est, qua omnia in omnibus operatur. Eph. 1. 11. *Qui agit omnia.* Rom. 11. 36. *Ex eo, per eum, et in ipsum sunt omnia.*

2. *Efficere, operari, vel agere* Dei activè sumptum, prout

est in Deo agente, non est aliud realiter ab ipso Deo : nulla enim compositio aut mutatio potentiaë et actus locum potest habere in simplicissima et immutabili Dei natura : addit tamen relationem quandam Dei ad effectum reale.

3. *Omnia in omnibus operatur*, quia efficientia omnium omnino rerum pendet a prima causa efficiente, non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias omnes reales. Esa. 45. 7. *Me Iehovam facere omnia ista.* Lam. 3. 37, 38. *Ecquo dicente existit aliquid, si Dominus non præceperit ? Ex ore Excelsi non prodit malum quodque et bonum ?* Realibus operationibus annumeratur etiam quicquid perfectionem sonat in genere moris : sed non defectiones quæ subjectioni Deo debitæ adversantur.

4. In efficientia Dei, elucet ratio Essentiaë divinæ, et ratio Subsistentiaë.

5. Ratio illa efficiens, quæ ad essentiam Dei pertinet, est Omnipotentia.

6. Potentia Dei, qua consideratur ut simpliciter potens, est idem planè cum ejus sufficientia, et pertinet propriè ad naturam Dei, quæ consideratur sub ratione Entis, atque adeo prior est scientia et voluntate Dei. Rom. 11. 23. *Potens enim est Deus rursus eos inserere.*

7. Potentia verò, in quantum est exsequens, posterior est aliquo modo sufficientia, et pertinet ad efficientiam Dei, atque adedè sequitur scientiam et voluntatem Dei, Ps. 115. 3. et 135. 6. *Quicquid placet, facit.*

8. In istis igitur talis ordo concipiendus est, ut primo in Deo concipiamus *posse*, secundò *scire*, tertio *velle*, et postremò *efficere potenter*, quod non nisi ratione differt a voluntate Dei efficaci. Unde syllogismus ille fidei, qui

Matt. 8. 2, 3. distinctè explicatur: *Domine si velis, potes. Volo. Ergo factum est*: ubi argumentum est a voluntate ad potentiam accedente.

9. Hinc ipsa voluntas Dei, quæ est principium effectivum habet rationem potentiæ. Rom. 9. 19. *Ejus voluntati quis obsistit?* Neque ipsa omnipotentia executiva aliud quicquam est, quam voluntas Dei effectiva. Ps. 33. 9. *Ipsa præcipiente, existit quicquid est.* Apoc. 4. 11. *Per voluntatem tuam sunt et creata sunt.*

10. Error igitur est Dei naturæ adversus, dicere, Deum multa propriè velle efficere, quæ tamen per omnipotentiam non efficit Eph. 1. 19, 20. *Supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius.*

11. *Omnipotentia* Dei est, qua potens est efficere omnia quæ vult, aut velle potest. 2 Chron. 20. 6. *In manu tua est vis, et potentia, ac nemo tibi potest obsistere.* Luc. 1. 37. *Apud Deum non est ullum verbum, quod fieri non possit.* Phil. 3. 21. *Potest etiam subicere sibi omnia.*

12. Hinc etiam Deus passim in V.T. appellatur אל גבור, Esa. 9. 6, Jer. 32. 18; item אל שדי, Gen. 17. 1. et 35. 11, Ruth 1. 20, 21. Et in N.T. vocatur παντοκράτωρ, 2 Cor. 6. 18, Apoc. 1. 8. et 4. 8. et solus δυνάστης, 1 Tim. 6. 15.

13. Potentia Deo tribuitur activè, quia vim habet aliis aliquid communicandi, qualis est potentia vel potestas causæ: proprie tamen potentia activa non convenit Deo, quasi respectu sui ipsius primò otiosus esset ac postea sese in actum promoveret, Deus enim est purissimus actus. Jac. 1. 17.

14. Non igitur activa potentia talis in Deo fingenda

est, quæ aliquid sit ab ejus essentia diversum, ipsa enim essentia Dei, est illa potentia, quâ potens est: sicut eadem est ipsa misericordia, quâ misericors est.

15. Convenit autem Deo potentia activa respectu creaturæ, quæ dicitur propriè posse recipere et experiri actum illum Dei, quam antea non sentiebat et experiebatur. Matt. 19. 26. *Apud Deum omnia sunt possible.*

16. *Omnipotentia* divina versatur circa absolutè possible, quæcunque Deus vult, aut potest velle. *Ibidem.*

17. Deus autem non propriè dicitur aliquid posse, quia illud est possibile, quasi prius natura esset possibile quam Deus illud posset: sed causa prima cur hoc aut illud est possibile, est, quia Deus illud potest. Sic etiam nihil propriè dicitur Deus non posse, quia est impossibile, sed ideo est impossibile, quia Deus illud non potest facere. Deus vero hoc aut illud non potest, non propter defectum, sed abundantiam potentiæ infinitæ. Unde etiam recte dicitur hoc aut illud potentissime non posse; quia scil. ipsius potentia infinita, quæ est actus purissimus, eidem repugnat. Et hoc sensu accipiendum est, quod dici solet, Deo impossibilia esse quæ contradictionem involvunt; ita nempe ut prima causa cujuslibet impossibilitatis, et repugnantis in Deo collocetur. 2 Tim. 2. 13. *Negare seipsum non potest.*

18. Hinc distinctio quædam omnipotentis divinæ oritur, quâ distinguitur in potentiam absolutam, et in potentiam ordinatam sive actualem.

19. Potentia *absoluta* illa est, quâ potens est Deus efficere omnia possible, etiamsi ea nunquam sint futura. Matt. 3. 9. *Deus potest ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo;* et 26. 35. *An putas me non posse nunc*

precari Patrem, qui huc sistat mihi plures quam duodecim legiones angelorum? Marc. 10. 27; Eph. 3. 20.

20. Potentia Dei *ordinata* est, quâ illud non solum potest facere, quod vult, sed etiam reipsâ actualiter agit, quicquid vult. Ps. 115. 3. et 135. 6; Eph. 3. 11.

21. Ratio subsistentiæ Dei, quæ in ejus efficientia elucet, est primò personarum omnium cooperatio; secundo, earundem in operando modus distinctus.

22. *Cooperatio* est, quâ rem eandem operantur inseparabiliter: omnes enim operationes ad extra sunt omnium personarum communes. Joh. 5. 17, 19. *Pater operatur, et ego operor. Quæcunque ille facit; hæc etiam Filius pariter facit;* et 16. 13, 14. *Spiritus ille non loquetur a semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur. De meo accipiet, et renunciabit vobis.*

23. Hinc quælibet persona operatur a sese, quoad vim causalem, quam exercet.

24. Hinc nulla dignitatis præeminentia est in ista cooperatione, sed unius et ejusdem causæ summa unitas et identitas.

25. Hinc æqualis honor omnibus personis divinis æqualiter a nobis debetur.

26. *Modus operandi* distinctus est, quo quælibet persona operatur secundum distinctam rationem suæ subsistentiæ.

27. Distinctus iste modus partim est in ordine agendi, et partim in actionis terminatione.

28. Quoad ordinem, *Patris* operandi modus est a se, per Filium et Spiritum Sanctum. Hinc origo rerum, nempe *creatio*, propriè tribuitur Patri, qui ordine originis est personarum prima.

29. *Filii* operandi modus est a Patre, per Spiritum. Hinc

rerum dispensatio illi propriè tribuitur, nempe *redemptio*, et omnium in Ecclesia munerum *constitutio*, Eph. 4. 11. *Is igitur dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, etc.*

30. *Spiritus* operandi modus est a Patre et Filio per sese. Hinc rerum consummatio tribuitur Spiritui Sancto, ut *regeneratio*, Tit. 3. 5, donorum omnium spiritualium *communicatio*, 1 Cor. 12. 4, et rerum ipsarum naturalium *perfectio*. Gen. 1. 2.

31. Quoad terminum actionis, illud opus, in quo unius personæ operatio vel operandi modus potissimum elucet, præcipuè etiam illi tribuitur. Sic Patri creatio, Filio redemptio, et Spiritui sanctificatio, per appropriationem solennem attribuuntur. Sic in mysterio incarnationis, quamvis Pater, Filius, et Spiritus Sanctus causæ rationem habeant, solus tamen Filius est terminus relationis.

CAP. VII.

De Decreto et Consilio Dei.

1. In potenti Dei efficientiâ primum locum obtinet Decretum Dei; quia hic modus efficiendi, quum sit omnium perfectissimus, maximè convenit naturæ divinæ.

2. Decretum Dei est definita ejus sententia de rebus omnibus per omnipotentiam et secundum consilium suum efficiendis. Eph. 1. 11. *Agit omnia ex consilio voluntatis suæ.*

3. In decreto Dei apparet ejus constantia, veritas, et fides.

4. Constantia est, quâ decretum Dei permanet semper immutabile. Num. 23. 23. *Deus fortis non est homo qui mentiatur, aut filius hominis quem poeniteat.* Prov. 19. 21. *Consilium Iehovæ ipsum stabit.*

5. Veritas est, quâ illud solum enuntiat quod decrevit. Jer. 10. 10. *Iehova est Deus veritatis.* Rom. 3. 4. *Est Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quamvis enim verba ejus videri possint nonnunquam aliud quid sonare, eorum tamen sensus cum decreto semper consentit.

6. Fides est, quâ efficit, quicquid decrevit, et prout decrevit. Esa. 46. 10. *Consilium meum stabit, et omnem delectationem meam facturum sum.*

7. Omne decretum Dei est æternum. 1 Cor. 2. 7; Act. 15. 18.

8. Ad hoc decretum Dei pertinet consilium. Eph. 1. 11; Act. 4. 28.

9. Consilium Dei est quasi deliberatio de re qualibet, approbata jam intellectui et voluntati, optimè efficienda.

10. Consilium Deo tribuitur, respectu iudicii perfecti, quo omnia facit consulto, i.e., sciens volens: non respectu inquisitionis, a quâ in hominibus iudicium istiusmodi pendet. Deus enim omnia et singula simul videt ac vult. Idcirco dicitur quasi deliberatio propriè dicta.

11. Ad perfectionem hujus consilii tria concurrunt; i^o. scopus aut finis propositus; ii^o. mentis conceptus eò faciens; iii^o. voluntatis intentio et complacentia.

12. Scopus aut finis hujus consilii est Dei ipsius gloria, id est, bonitas vel perfectio illa Dei, quæ per efficientiam ejus fit manifesta, et in operibus ejus effulget. Eph. 1. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.*

13. In omni artifice vel efficiente ex consilio ad extra præexistit idea, quam acturus inspicit, ut ad eam operationem suam aptet; sic etiam in Deo, quum non efficiat naturaliter, neque temerè, neque ex coactione: sed cum summa rationis perfectione, idea hujusmodi præexistens est concipienda, ut omnium rerum efficiendarum exemplaris causa. Heb. 11. 3. *Quæ cernimus facta sunt ex non apparentibus.*

14. Idea omnium rerum est essentia divina, prout ab ipso Deo intelligitur ut imitabilis a creaturis, vel ita ut aliquo modo exprimi possit perfectionis illius imago aut vestigium aliquod in creaturis: hoc est, ipsæ creaturæ, prout in mente divinâ concipiuntur, sunt idea illius naturæ, quam habent in semetipsis. Parum enim aut nihil potius interest inter istas descriptiones, dum in utraque concipitur essentia divina virtute constituens omnia intelligibilia et eorum rationes.

15. Idea in homine, qui cognitionem acquirit per *analysin*, colligitur ex rebus ipsis: atque adeo res primò in semetipsis existunt, tum ad hominum sensum perveniunt, et inde ad intellectum, ubi possunt ideam aliquam constituere ad operationem insequentem dirigendam. Sed quoniam Deus intelligit omnia per *genesin*, et non requirit cognitionem per *analysin* rerum, idè omnia sunt prius in ejus mente, quam in semetipsis.

16. In nobis res ipsæ sunt exemplar, et cognitio nostra est imago: sed in Deo scientia divina est exemplar, et res ipsæ sunt imago vel similitudo ejus expressa.

17. Idea in homine est prius impressa, et postea exprimitur in rebus: sed in Deo est tantum exprimens propriè, non impressa; quia non accedit aliunde.

18. Ex hoc uno fundamento satis refutari possunt omnes errores de meritis et fide prævisa. Si enim decretum aliquod Dei penderet propriè ex ejusmodi prævisione, tum Dei idea adveniret ei aliunde, quod ejus naturæ haudquaquam convenit.

19. Idea prout in Deo absolutè consideratur, est unica; sed quatenus includit varios respectus ad creaturas fit multiplex: ita ut verum sit, ideam unius creaturæ non esse ideam alterius.

20. In Deo sunt ideæ omnium perfectionum, quæ sunt in creaturis: quiaveniunt ex virtute Dei activâ; sed non imperfectionum, si considerentur formaliter sub ratione imperfectionis.

21. Cognitio igitur mali pendet ex negatione boni, prout esse mali consistit in privatione boni: eodem quippè modo habent omnia cognosci, quo habent esse.

22. Ideæ prout sunt plures, ita quædam earum sunt inter se connexæ, et ex se invicem pendunt: unde etiam ordo quidam existit prioris et posterioris.

23. Ideæ prout considerantur antecedentes decretum divinæ voluntatis, quidditatem rerum repræsentant et existentiam tantum possibilem: prout considerantur post determinationem divinæ voluntatis, repræsentant easdem res ut actu futuras, secundum actualem suam existentiam.

24. Ex variâ istâ consideratione exoritur distinctio scientiæ divinæ, in illam quæ dicitur *Scientia simplicis intelligentiæ*, et illam quæ dicitur *Scientia visionis*.

25. Scientia simplicis intelligentiæ est omnium possibilem, id est, rerum universarum et singularum, quæ fieri possunt, perfectissima in Deo scientia.

26. Scientia visionis est scientia omnium futurorum sive sint in suâ naturâ necessaria, sive libera, sive contingentia.

27. Quæ novit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, novit ex sua omnisufficiencia: quæ verò novit per scientiam visionis, novit per suam efficientiam, vel ex decreto suæ propriæ voluntatis. Ps. 33. 15. *Formator cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.* Esa. 44. 7. *Quis ut ego prædicat et indicat istud, aut ordinat istud mihi, ex quo disposui populum æternum; ut futura, et quæ eventura sunt indicentur illis?*

28. Scientia media, per quam Deus a nonnullis ante decretum suæ voluntatis ex hypothesi novisse fingitur tales eventus merè contingentes futuros, si tales causæ liberæ cum talibus conditionibus ponantur; quum et statuatur eventus certò futuros independentem a Dei voluntate, et scientiam aliquam Dei ab objecto præcipue pendere faciat; hujusmodi (inquam) scientia cum summâ Dei perfectione stare non potest.

29. Idea divina pro varietate notionum quæ sunt in rebus varias induit rationes: respectu principiorum dicitur *Intelligentia*, quâ Deus in singulis singulare quodque percipit: respectu veritatis ad singula spectantis dicitur *Scientia*; quæ quoad latitudinem est omniscentia; et quoad illud esse quod res habent in propria sua mensura, dicitur præscientia: respectu dependentiæ veritatum, quam habent inter se, dicitur *Sapientia*, qua novit quid cuique rei conveniat, et quid ab ipsa sit alienum: respectu ordinis totius in praxi instituenda dicitur *Prudentia*, qua novit rebus omnibus oportunissimas accommodare occasiones: respectu denique praxeos exe-

quendæ, dicitur *Ars*, qua efficere novit omnia peritissimè, Heb. 11. 10.

30. Promiscuè quidem sæpe hæ voces in scripturis usurpantur, ad explicandam perfectionem intellectus divini, ad captum eorum qui intellectum habent maximè imperfectum: sua tamen natura hanc distinctionem admittunt, et non aliam.

31. Conjecturalis illa scientia, quam solam nonnulli Deo tribuunt circa futura contingentia, repugnat planè naturæ et perfectioni divinæ.

Ex tribus illis quæ fuerunt proposita ad consilii divini perfectionem concurrentia, videlicet scopus, mentis conceptus, et voluntatis intentio, restat tertium considerandum, quod beneplacitum vocatur.

32. Beneplacitum Dei est actus divinæ voluntatis, liberrimè et efficaciter statuens de rebus omnibus.

33. *Beneplacitum* in Scripturis quidem usitatissime designat benevolentiam Dei, qua bonum salutare suis vult ac decernit: quia tamen omne consilium bene Deo placet, idcirco recte adhibetur a Theologis ad omne consilium explicandum, etiam secundum scripturam. Matt. 11. 26.

34. Voluntas hæc est vere *libera*: quoniam quicquid illa vult, illud non vult ex necessitate naturæ, sed consilio.

35. Est *liberrima*, vel maximè et absolutè libera ex nulla alia pendens: hominum autem et angelorum voluntatis libertas per dependentiam quam habet a Deo minor est et participata.

36. Libertas in istis operationibus ad extra non est concomitans tantum, ut in operationibus ad intra, sed

etiam antecedens sub ratione principii : * quoniam quod Deus vult operari ad extra, non vult ex necessitate naturæ, sed electione præcedente : non est enim necessaria connexio inter naturam divinam et istos actus.

37. Voluntas hæc est *efficax* : quia quicquid vult, dat effectum suo tempore, nec quicquam est, si velit, quod non fiat. Ps. 115. 3. et 135. 6. *Quicquid placet sibi, Iehova facit.*

38. Hinc voluntas Dei est prima causa rerum. Apoc. 4. 11. *Per voluntatem tuam sunt et creata sunt.* Voluntas autem Dei ut velit operari ad extra, non præsupponit bonitatem objecti, sed volendo ponit et facit. Jac. 1. 18. *Quia voluit, progenuit nos.* Rom. 9. 18. *Cujus vult miseretur.*

39. Voluntatis igitur divinæ nulla proprie dicta causa datur.

40. Hinc recte dicitur, Deum unam rem velle propter aliam existere ; sed illam unam rem non esse causam proprie dictam, qua Dei voluntas interne movetur ad alteram illam decernendam. Sic voluit Deus existere solem atque astra, propter generationem, conservationem, et corruptionem inferiorum : sol tamen et astra non sunt causa, cur Deus velit illa generari, conservari, et corrumpi. Et sic se res habet in omnibus rebus extra Deum, quæ quidem inter sese sunt causa et effecta, etiam quæ dependent a divina voluntate, sed ipsius voluntatis Dei nulla est causa extra ipsam.

* Distinctio hæc inter libertatem concomitantem et antecedentem convenire videtur cum usitatore inter libertatem spontaneitatis et indifferentiæ. Cf. Turretini Theol. Elencht. Loc. III. qu. xiv ; Van Mastricht Theol. Lib. II. cap. xv. §. 14.

41. Neque etiam in Deo volitio unius rei est propriè dicta causa efficiens, ut in semetipso velit aliam : quoniam efficientia causæ in effectum, et dependentia effecti a causa, in voluntatem divinam, quæ est Deus ipse omnia simul et semel unico actu verè et simpliciter volens, cadere non potest. Verum tamen est, quod Scholastici dicunt, attingentiam divinæ voluntatis passivam, respectu unius rei, esse causam attingentiæ passivæ, respectu alterius : atque adeo hoc sensu recte ac pie dicitur, Deum unum aliquid velle, quia voluit aliud.*

42. Quamvis igitur multa velit, quæ non sunt consequutura nisi ex actu aliquo creaturæ antecedente, ipse tamen volendi actus, in Deo, non proprie pendet, ut consequens quid, ex actu creaturæ. Neque sub appellatione voluntatis antecedentis, tribuere fas est Deo imperfectam illam voluntatem, quæ *velleitas* in scholis nominatur.† Non convenit enim naturæ omniscienti, omnipotenti, et infinite beatæ.

43. Quare sententia illa quæ statuit Deum aliquid velle antecedenter ad actus creaturæ, quod idem consequenter ad illos nolit, sed aliud velit, non est admitenda : quia voluntatem Dei statuit mutabilem, et ab

* "H. e. quod v. g. fides Petri a voluntate Dei attingatur ; causa est, seu ratio, quod etiam salus attingatur. Hoc igitur sensu recte dicitur ; Deum unum aliquid velle quia aliud voluit."—*Van Maastricht Theol.* Lib. II. cap. xiv. §. 9. "Deus vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc."—*Thomas Aqu. Summa*, Part. I. Qu. xix. art. 5. Cf. Joh. Dunoan LL.D. *Colloquia Peripatetica*, p. 30.

† Velleitas est merum desiderium seu cupido alicujus finis, sine intentione illum consequendi, quæ adesse debet ad perficiendam volitionem.

actu creaturæ dependentem, ita ut quoties mutatur actus creaturæ, toties et ipsa mutetur.

44. Ex ista etiam sententia, non esset adhibenda in omnibus formula illa loquendi, qua nos, et omnia nostra Deo committimus, in verbo Dei præscripta : *Ego volo hoc vel illud, si Deus voluerit* ; sed contrariè inversa, *Deus vult hoc vel illud, si homo voluerit*.

45. Voluntas hæc statuit de rebus omnibus ; maximis, minimis ; contingentibus, necessariis, liberis ; sine omni exceptione. Hoc de omni rerum genere Scriptura demonstrat : ut de Christo Jesu glorificando, et ecclesiâ per ipsum servandâ : Ps. 2. et 110. 4. et 40. 7, 8, 9 ; Heb. 7. 16, 21 ; Eph. 5. 25 ; 2. Tim. 1. 9. de Pharaone ; Exod. 13. ubi Deus ita disposuit omnia, ut Pharaonem moveret ad insequendum, et obruendum populum Israël, imò obduravit, ut insequeretur eum ; liberè tamen egerunt et Pharao et Israël : similiter de venditione Josephi, in qua omnia libere et contingenter acciderunt, Deo de illa statuente pro voluntate sua : de ipso corde humano : Ps. 33. 14 ; 1 Sam. 10. 9, 26 ; Prov. 21. 1 : de homine fortuito alterum occidente : Exod. 12. 13 : de sorte in urnam conjectâ : Prov. 16. 33 : de passerculis in terram cadentibus : de singulis crinibus capitis humani : Matt. 10. 29, 30 : de liliis, floribus, et gramine ipso terræ : Matt. 6. 28, 30 : denique de rebus omnibus creatis. Job 38 ; Ps. 104 ; Esa. 45. 7 ; Jer. 14. 22.

46. Si Deus non statueret de rebus omnibus, voluntas ejus non esset causa prima simpliciter et universaliter : ac proinde qui contrarium sentiunt, necesse habent vel duo prima principia statuere, vel plura duobus, quod est ab omni veritate planè alienum.

47. Voluntatis autem non eadem est ratio, quæ scientiæ et potentiæ divinæ : scientia enim scit omnia scibilia, et potentia potest omnia possibilia, simulque extenduntur ultra illa quæ actu fuerunt, sunt, et erunt : at per voluntatem non vult omnia volibilia quæ potest velle, sed omnia quæ iudicavit volenda, ideoque actu futura sunt : undè quamvis omniscius et omnipotens dicatur Deus, dici tamen non potest omnivolens.

48. In istis omnibus, quæcunque Deus vult, est universaliter efficax : ita ut nullo modo possit impediri, aut frustrari, quo minus obtineat quod vult. Nam si quid proprie vellet, et non posset assequi, non esset summe perfectus, ac beatus.

49. Voluntas tamen divina non infert necessitatem omnibus rebus futuris, sed certitudinem tantum quoad eventum. Sic fieri non potuit, quoad certitudinem eventus, ut ossa Christi confringerentur, quia Deus voluit ut non confringerentur ; nulla tamen militibus, hastis, et aliis quæ tunc adfuerunt causis secundis illata est necessitas.

50. Imò tantum abest, ut voluntas divina, quæ certissime assequitur quicquid vult, res omnes urgeat dura necessitate, ut prima radix ac causa efficiens sit omnis illius contingentis, ac libertatis, quæ est in rebus : quoniam efficaciter præconstituit, ex talibus causis tales effectus secuturos.

51. In istis rebus quas Deus vult, ordo quidam concipitur : videlicet quod prius velit finem, cum agat ex ratione perfectissima, quam media ad finem ; et inter media, prius illa, quæ propius ad finem accedunt : quod

enim prius est ordine executionis, id posterius est ordine intentionis, et e contra.

52. Voluntas ista Dei, ex parte occulta est, et ex parte revelata. Deut. 29. 29.

53. Media illa, per quæ voluntas ista revelatur, recte vocantur *voluntas signi*, non tantum metaphoricè, quia solent inter homines indicare quid velint; sed etiam metonymicè, quia sunt vel effecta, vel adjuncta, propriam Dei voluntatem ex parte indicantia.

54. Signa ponuntur quinque, veteri illo versiculo: *Præcipit, et prohibet, permittit, consulit, implet*: sed quia consilium coincidit cum præcepto, rectius pro eo poneretur *promittit*.

Hactenus in genere de efficientia Dei, qua una cum sufficientia fidei objectum constituit aptum et adæquatam: sequuntur species ejus.

CAP. VIII.

De Creatione.

1. Efficientia Dei est vel creatio, vel providentia.
2. Creatio est efficientia Dei, qua mundum fecit ab origine, ex nihilo, valdè bonum.
3. Creatio activa concipitur per modum actionis transeuntis, in qua semper præsupponitur objectum, circa quod agens versatur: non est tamen formaliter transiens, sed tantum virtualiter, quoniam objectum non præsupponit, sed efficit.
4. Creatio passiva concipitur per modum mutationis quæ improprie dicitur mutatio.

5. Creatio respicit mundum totum, id est, quicquid existit extra Deum.

6. Hinc et res omnes quæ extra Deum existunt, sunt creatæ, et sunt omnino creatæ, id est, tam secundum materiam, quàm secundum formam. Apoc. 4. 11. *Quia tu condidisti omnia.* Col. 1. 16. *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cælis sunt et quæ in terra, visibilia et invisibilia.*

7. Creatio producit originaliter, quia producit ens non solum quâ tale, sed etiam absolutè omni ex parte.

8. Ante creationem igitur, creaturæ nullam habuerunt esse reale, vel existentia vel essentia; quamvis esse cognitum habuerunt ab æterno in scientia divina.

9. Creatio igitur producit ex nihilo, id est, ex non præexistente, sed coexistente materia. Neque enim quicquam fuit ab æterno præter Deum; neque Deus est materia vel pars ullius creaturæ, sed efficiens tantum.

10. Quædam revera dicuntur creari, quorum materia præexistebat: sed tum creatio non immediatam tantum illam actionem respicit, quâ fit ut talia existant; sed etiam mediatam, quâ factum est, ut ipsa materia existeret, ex qua illa formantur, sic fuit in creatione plantarum et animalium. Gen. 1. 20.

11. Nihil istud, vel non esse rerum, præcessit earum esse, non ordine naturæ tantum; sic enim ab æterno potuissent coexistere Deo; sed et ordine durationis, pro nostro concipiendi modo.

12. Hinc principium illud, in quo Deus dicitur creasse mundum, fuit finis durationis illius, quam habuit nihil, et initium illius, quam habuit mundus.

13. Voluit igitur Deus creatione, et perfectionem suam

ostendere, quod non indigeret ullâ creaturâ, vel re externâ; tunc enim quàm primum potuit mundum creasset: et etiam libertatem illam, quâ omnia produxit absque naturali necessitate: si enim necessario creasset, ab æterno illud fecisset. Apoc. 4. 11; Ps. 115. 3.

14. Mundus neque ab æterno conditus est, neque ab æterno potuit creari in illa dispositione et ordine rerum, quem modò habet.

15. Dies iste non extitisset, si infiniti dies antecedere debuerint. Illi enim antecedentes dies nunquam finiti fuissent, ut iste succedere posset ipsis.

16. Hinc etiam sequitur nullam creaturam fuisse aut potuisse causam vel instrumentalem vel principalem fuisse in creationis actu.

17. Valdè bonum fuit creatum omne, quia neque temerè neque frustra factum, sed ad finem, quem assequeretur efficiens. Gen. 1. 31. *Quicquid fecerat, bonum erat valdè.* 1 Tim. 4. 4. *Quicquid condidit Deus, bonum est.*

18. Bonitas rei creatæ est illa perfectio, quâ apta fit ad usum, cui inservit: usus autem iste, vel est particularis, vel universalis.

19. Particularis est operatio illa propria, cui res aliqua in sua singulari natura inservit.

20. Universalis est ordinatio rei unius cum aliis ad perfectionem universi. Ps. 104. et 148; Esa. 40. 13.

21. Per hanc bonitatem res omnes creatæ naturali suo modo tendunt ad Deum, a quo proveniebant. Ens enim secundum est a primo, et propter primum. Hinc phrases illæ, *ab ipso, per ipsum, et propter ipsum sunt omnia.* Rom. 11. 36.

22. Tendunt autem ad Deum res naturales; i. in eo

quod declarant Dei gloriam; Ps. 19. 1. ii°. quod occasionem nobis præbent Deum et cognoscendi et quærendi; Rom. 1. 30; Act. 17. 26. iii°. quod sustentant vitam nostram, ut bene Deo vivamus. 1 Cor. 10. 31; 1 Tim. 4. 3. 4.

23. Rebus omnibus creatis coëxistit *Tempus* sicut apparet ex illa phrasi, *in principio*, tum enim initium fuit temporis.

24. Coëxistit etiam *Locus*, hoc est certum spatium, quo creaturæ extensio definitur. Gen. 1. 22.

25. Hæc autem non sunt propriè creata, sed concreata, vel rebus creatis annexa: quia non habent entitatem absolutam, sed relativam solùm.

26. Quia Deus creavit omnia ex nihilo: idcirco fides nostra acquiescit in ipso contra spem, sub spe, de iis, quæ non sunt, ac si essent. Rom. 4. 17. 18.

27. Creatio mundi distribuitur secundùm partes mundi: quamvis enim mundus unus sit, unitate aggregationis, ordinis, ac finis; partibus tamen constat, non solum secundum situm, verum etiam secundum essentiam, et existentiam distinctis.

28. Creatio autem harum partium mundi non fuit simul et uno momento, sed peragebatur per partes, sibi invicem sex dierum interstitiis succedentes.

29. Creatio igitur est partium mundi vel immediatè perfectarum, vel mediatè. Ps. 33. 6; Heb. 11. 3; Gen. 2. 7, 19, 22.

30. Creatio rerum immediatè perfectarum est, quæ res factæ sunt principiis primum ipsis ingeneratis, tam materiali quam formali, idque in existentia completa.

31. Hinc istæ creaturæ nulli essentiali mutationi sunt obnoxia per se, ut generationi, vel corruptioni.

32. Partes immediate perfectæ sunt cœlum supremum, et illius incolæ, angeli.

33. Cœlum supremum est sanctitatis Dei habitaculum, repletum omnibus quæ pertinent ad beatitudinem æternam; ubi se, quasi faciem ad faciem, conspiciendam præbet Majestas Dei. 1 Cor. 2. 9; Apoc. 21. 23; 1 Cor. 13. 12.

34. Dicitur cœlum tertium, Empyreum, cœlum cœlorum, et Paradisus. 1 Reg. 8. 27; Matt. 18. 10; Marc. 12. 25; 2 Cor. 12. 2, 4.

35. Hoc cœlum intelligitur, Gen. 1. 1; Heb. 11. 10, 16.

36. Angeli sunt spiritus primariæ perfectionis ad ministerium Dei creati.

37. Quod creati fuerint Angeli apparet. Col. 1. 16; Ps. 148. 5. Quod sint primo die cum cœlo supremo creati, apparet; i.º ex similitudine naturæ, quam habent; ii.º quod in cæterarum rerum creatione dicuntur quasi applausisse Deo. Job. 38. 7.

38. Quia autem sunt spiritus, Heb. 1. 14; Luc. 24. 29, ministratores Dei, Heb. 1. 7, 14, primariæ perfectionis et natura immortales: Luc. 20. 36, hinc summa rationis perspicacitate sic excellunt, ut quasi undique oculati dicantur, statim videntes quid Deus velit ab ipsis fieri, et quomodo sit faciendum; voluntatis etiam libertate, ut officiis suis fungantur sedulo; Ps. 103. 20, virium itidem perfectione, ut robore valeant magna præstandi; 2 Pet. 2. 11, agilitate denique summa, ut quasi alati celeriter expediant quod habent in mandatis. Ezech. 1. 6.

39. Ministerium eorum est, gloriam Dei celebrare, et exsequi ejus mandata, Ps. 103. 20. præcipuè vero circa illos, qui hæredes futuri sunt salutis æternæ. Heb. 1. 14 ; Ps. 91. 11. et 34. 8.

40. Conditi sunt integri, in sanctitate et justitia. Luc. 9. 26 ; Joh. 8. 44 ; Jud. 6 ; 2 Pet. 2. 4.

41. Sunt numero plurimi, usque ad myriades myriadum. Dan. 7. 10 ; Heb. 12. 22 ; Matt. 26. 53. Distinguuntur inter se, respectu officiorum et objectorum circa quæ versantur, secundum varios gradus ; Eph. 1. 21. et subsunt imperio Dei et Christi solius.

42. Creatio partium mundi mediata perfectarum est, qua factæ sunt res ex principiis præexistentibus.

43. Hinc istæ creaturæ sunt obnoxie mutationi, et corruptioni.

44. Res istæ mediata perfectæ duplicem habuerunt existentiam, rudem et incompletam primo, et tum postea completam, distinctam, et ornatam.

45. Rudis et incompleta rerum existentia fuit in massa illa, quæ in principio creata fuit informis, inanis, et tenebris involuta, quæ dicitur terra, aquæ, abyssus.

46. Informis dicitur, non quia nullam habuit formam ; sed quia neque formositatem et ornatum, neque actum completum habuit earum formarum quæ ex illa postmodum erant emersuræ.

47. In constitutione existentie rerum completæ, duo præcipuè spectanda sunt, nempe modus et ordo.

48. Modus constitutionis quatuor continet. i°. Mandatum Dei rem quamque producens : *esto, vel fiat hoc aut aliud* ; in quo elucet Dei potentia, quod solo verbo aut voluntate fecit omnia. Ps. 33. 9. et 115. 3. ii°. Appro-

bationem, eandem rem productam ut bonam agnoscentem: *Vidit Deus esse bonum.* Hinc elucet bonitas Dei, quod omnia produxit ad finem et usum bonum. Ps. 16. 2. iii°. Ordinationem, eidem rei suum usum assignantem, *esto in hunc aut illum fine.* Hinc elucet Dei sapientia, qua singulis rebus creatis singulares suos usus aptissima ratione assignavit. Jer. 10. 12. et 51. 15. *Fecit terram virtute sua, stabilivit orbem habitabilem sapientia sua, et prudentia sua extendit celos.* iv. Sanctionem legis atque ordinis, in illa re perpetuo observandi, quæ conjungitur cum ordinatione. Hinc elucet Dei constantia, quod non in dies aut annos aliquot, sed ad finem usque mundi, singulas creaturas voluit suum ordinem observare.

49. Quatuor hæc singulatim non exprimentur in quibusdam rerum generibus: quia imperfectio earum ex aliarum rerum perfectione pendet: communi tamen ratione æquè omnibus conveniunt.

50. Ordo constitutionis talis fuit: die primo, post cœli supremi angelorum et informis massæ productionem, subtilissima illius massæ parte sursum evocata, facta fuit lux, id est, ignis lucens.

51. Die secundo, ex parte illa, quæ ad priorem subtilitate proximè accedebat, factus fuit aër.

52. Die tertio, crassiores partes massæ ita distributæ fuerunt, ut aquis ex parte longè maxima in conceptacula sua collectis, seorsum extiterit mare, et terra compareret herbis et arboribus ornata.

53. Die quarto, luminaria cœli facta sunt ad lucem super terram deferendam.

54. Die quinto, producti sunt pisces et aves, aquæ et aëris incolæ.

55. Die sexto, animantia omnia terrestria : primum bruta, et tum postea homo : atque ita perfecti sunt cœli et terra omnisque exercitus illorum.

56. In istoc ordine elucet maximè Dei sapientia, potentia et bonitas.

57. Sapientia i°. quod elementa simplicia prius creata sint quam elementaria, vel concreta et composita : ii°. quod in simplicibus prius perfectiora, quæ propius accedunt ad naturam Dei : iii°. quod illa prius sint creata, quæ tantum habent esse ; tum illa quæ præter esse habent etiam vivere ; postea illa quæ præter esse et vivere, habent etiam sentire ; tum demum illa, quæ præter esse, vivere, et sentire, habent etiam rationem : iv°. quod in simplicibus, a perfectioribus ad imperfectiora fuit progressus : sed in compositis, ab imperfectioribus ad perfectiora, a plantis ad hominem.

58. Potentia Dei elucebat, eo quod plantas, herbas, arbores prius creavit, quam solem et astra, quæ vim causarum habere solent in eorum productione.

59. Bonitas Dei elucebat, quod prius domicilia quam incolas, prius pabulum quam animalia, prius illa quæ homini forent usui, quam hominem ipsum creavit.

60. Homo prout ultima fuit creaturarum, sic fuit creaturarum omnium, tam immediatè quam mediatè perfectarum compendium, earum naturam participans quoad animam, et harum quoad corpus.

61. Mediatè perfectarum fuit finis, atque adeo in illis, et supra illas, quoad intentionem spectans.

62. Hinc alio modo creatus dicitur quam cæteræ creaturæ : illæ enim per solum verbum productæ fuerunt : *esto lux, esto expansum* : homo autem quasi

consilio, et deliberatione majore. *Faciamus hominem.* Gen. 1. 16.

63. Corpus enim prius fuit præparatum et postea anima inspirabatur. Gen. 2. 27. Corpus ex materia elementari : anima verò ex nulla materia præexistente, sed per potentiam Dei immediatè producebatur.

64. Præstantia hominis in eo præcipuè ponebatur, quod imaginem Dei gerebat.

65. Ad rationem imaginis tria requiruntur : i°. Ut sit similis : ii°. ut sit expressa et effigiata ad imitationem alterius rei tanquam exemplaris : iii°. ut ista similitudo sit vel in natura specifica, vel in nobilissima ejus perfectione.

66. Hinc est, quod in inferioribus creaturis, imago Dei propriè non reperitur, sed umbra et vestigium tantum.

67. In homine verò propria ratio imaginis reperitur : non tamen perfecta, qualis est in Filio Dei solo : Col. 1. 15 ; Heb. 1. 3, sed imperfecta, non privativa imperfectione, sed negativa.

68. Imago hæc igitur est conformitas hominis pro suo modulo ad summam Dei perfectionem.

69. Imago hæc tota fuit homini naturalis, sed alia et alia ratione : partim enim fuit ipsa natura hominis, partim fluebat ex principiis et perfectione naturæ, et partim fuit naturæ aliquo modo debita.

70. Imago Dei in homine fuit partim interna, partim externa. Interna, est perfectio corporis et animæ.

71. Corporis perfectio est, qua fuit absolutè comparatum ad decus et usum divinæ voluntati congruentem. Gen. 2. 25 ; Rom. 6. 13.

72. Animæ perfectio fuit, qua erat immortalis naturæ, non solum facultatibus, quibus liberum principium esset suarum actionum, intellectu et voluntate, sed etiam donis ornata, quibus ad benè vivendum potens et aptus homo reddebatur, sapientia nempe sanctitate et justitia. Eph. 4. 24; Col. 3. 10.

73. Externa perfectio hominis fuit imperium in creaturas alias, quo uti illis liberrimè potuit, ad Dei gloriam et suam necessitatem. Gen. 1. 26. et 2. 19. 20.

74. Hinc demandata fuit illi terræ cultura, et cibi procuratio ex plantis terræ. Gen. 2. 25.

75. Hinc animalium ad ipsum accessus, tanquam ad dominum, et indita iis nomina ab ipso tanquam a domino. Gen. 2. 19.

76. Hinc collocatus fuit in horto Edenis, ut in regia sua. Gen. 2. 19.

77. In istis omnibus conjunctim perfectio hominis fuit completa, et ex illa resultabat imago quædam Dei vel perfectionis divinæ.

78. Creatio hæc hominis fuit maris et feminæ, utriusque quoad animam ex nihilo; maris quoad corpus ex terra cæteris elementis intermixta; feminæ ex viro, propter virum, ne quid ipsi deesset ad suum bene esse. 1 Cor. 11. 8, 9.

79. Per opera hæc Dei cognoscitur Deus quoad æternam ejus tum potentiam tum divinitatem: Rom. 1. 20. sed ex eis non cognoscitur Deus Pater, Filius, et Spiritus Sanctus: quoniam vis illa efficiens, qua mundus fuit creatus, et quæ in mundo tanquam in effecto suo apparet, pertinet ad essentiam Dei, non ad subsistentiam ejus personalem.

80. Ex creationis consideratione fides nostra ascendit supra omnem ordinem naturæ, et *lucem gloriæ Dei apprehendit in facie Iesu Christi præbendam, quia Deus est is qui dixit, ut è tenebris lux splendesceret.* 1 Cor. 4. 6.

CAP. IX.

De Providentia.

1. Providentia Dei est efficientia illa, qua creaturis jam existentibus prospicit, in omnibus, secundum consilium suæ voluntatis.

2. Hæc providentia extenditur ad omnia, non solum quoad communia, sed etiam quoad propria, Ps. 145. 15, 16; Prov. 16. 9, 33; Exod. 21. 13. a nulla causa propriè determinata, sed omnes causas determinans, et hinc suo modo est omnium causa et universalis et particularis.

3. Providentia Dei est vel *immediata*, qua Deus per semetipsum ut causa absolutè solitaria prospicit rebus, vel *mediata*, qua mediis adhibitis prospicit.

4. Immediatè Deus omnia operatur quæ fiunt, tum ratione *virtutis*, respectu omnis *entitatis* quæ reperitur in effecto (virtus enim Dei attingit omne effectum, Deut. 8. 3; Esa. 28. 26.) tum ratione *suppositi*, respectu illius *esse* quod habet, qua est ens. Id enim in omnibus etiam operatur Deus ipse, qui immediatè, et intimè, semper, et ubique adest.

5. Respectu tamen eorum, in quæ agentia secunda influunt, virtute suæ propriæ formæ, Deus non dicitur agere immediatè, sed mediatè, quoniam agit etiam mediantibus suppositis ac virtutibus causarum secundarum.

6. Deus igitur mediis utitur, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis : ut scilicet dignitatem aliquam efficientiæ creaturis etiam communicaret, et in illis efficientiam suam redderet magis perceptibilem. 1 Sam. 14. 17. *Non est Iehovæ impedimentum, quin servet multis aut paucis.* Hinc sæpe Deus mediis illis utitur ad effecta nobilissima producenda, quæ ex sese nullam habent aptitudinem ad istiusmodi effecta ; 1 Cor. 1. 27, 28 ; Amos 5. 9 ; 2 Chron. 24. 24. sæpe etiam aptissima media reddit inefficacia. Ps. 33. 16. et 127. 1, 2 ; Hos. 4. 10.

7. Hinc fides nostra non respicit propriè media illa, quibus Deus utitur, neque pendet ex illis, sed ex Deo solo, qui vel per media, vel sine mediis, necessitatibus omnibus nostris succurrere potest, prout ipsi videtur. Dan. 3. 17. *Deus noster, quem nos colimus, potens est ad eripiendum a fornace ignis accensa, et a manu tua, o Rex.*

8. Providentia Dei est vel ordinaria et usitata, vel extraordinaria et inusitata.

9. Ordinaria providentia est, qua Deus observat ordinem in rebus a principio statutum. Cujus quidem ordinis ratio postulat, ut certum aliquid antecedit, et ex illo posito aliud aliquod certum consequatur. Hos. 2. 22. *Exaudiam celos, et ipsi exaudient terram, et terra exaudiet frumentum, et mustum, et oleum ; et ista exaudient Israël.*

10. Ordo iste in rebus naturalibus est lex naturæ omnium rerum communis, vel ipsa rerum natura prout certo ordine firmatur, proveniens a vi et efficacia illius nunquam irriti verbi a Deo in principio adhibiti : *fiat, esto, sit ita* ; quod futuri exprimens rationem, perpetuitatem et constantiam indicat, atque sua virtute omnia

efficit, quæ de iisdem rebus ordinarie fiunt. Jer. 31. 35. 36. *Statuta lunæ, et stellarum, etc.*; et 33. 20. *Fœdus meum de die et fœdus meum de nocte.*

11. Providentia extraordinaria est, qua Deus providet rebus ultra ordinem earum solitum et statutum, quo quidem modo quicquid efficitur, per metonymiam effecti, dicitur *Miraculum*.

12. Miraculum est operatio supra ordinem constitutum. Unde miracula vera semper attestantur omnipotentiam facientis. Hinc Deus solus est auctor verorum miraculorum.

13. Miraculorum homines possunt esse causæ morales, quatenus a Deo hoc impetrant ut ipse faciat, vel quatenus Deus utitur ipsorum opera tanquam signo vel indicio miraculi ab ipso faciendi: non magis tamen possunt esse causæ realiter efficientes, sive principales sive instrumentales, in miraculo proprie dicto, quam in ipsa creatione.

14. Providentia Dei est vel conservatio vel gubernatio.

15. Conservatio est, qua Deus persistere facit res omnes et universales et singulares, tam quoad essentiam et existentiam quam quoad vires; Ps. 104. 19. 20; Act. 17. 28; Heb. 1. 13. quæ a Scholasticis non ineptè vocatur *Manutententia* Dei, quia per eam Deus omnia sustentat quasi manu sua.

16. Conservatio hæc necessario intercedit inter creationem et rerum creatarum gubernationem: quia quicquid creatur, ad aliquem finem et usum creatur, ad quem etiam debet dirigi, et gubernari: finem verò istum non potest attingere, neque ad eum dirigi, nisi esse continueatur, aut conservetur.

17. Conservatio Dei est necessaria creaturæ, quoniam creatura omnimodè pendet a creatore, non tantum quoad fieri, sed etiam quoad esse, existere, permanere, et operari : ita ut omnis creatura rediret in illud nihilum ex quo facta fuit, si Deus illam non sustentaret, et ipsa cessatio divinæ conservationis, sine ulla alia operatione, redigeret statim quamlibet creaturam in nihilum. Ps. 104. 29. *Te abscondente faciem tuam conturbantur, recipiente spiritum eorum exspirant et in pulverem suum revertuntur.*

18. Quædam conservantur immediatè, quæ nempe subjiuntur soli Deo. Hæc conservatio cum creatione re ipsa est eadem, differens sola ratione, eo quod creatio novitatem quandam includit, quam conservatio excludit, et existentiam præcedentem excludit, quam conservatio includit : ita ut nihil aliud sit ista conservatio, quam quasi creatio continuata, ideoque conjungitur cum creatione. Neh. 5. 6. *Tu fecisti et tu conservas hæc omnia.*

19. Gubernatio est, qua Deus omnes creaturas ad proprios fines dirigit ac perducit. Ps. 29. 10. *Sedet Iehova rex in seculum.*

20. Gubernatio rerum debet esse a Deo. Finem enim ad quem creatæ fuerunt, nisi eadem vi regerentur, qua sunt creatæ, nunquam certo assequerentur : et ab imperfectione provenit in artifice, dum opus quod fecit alteri postea dirigendum relinquit.

21. Gubernatio hæc includit intrinsecè non solum rationem mediorum convenientium ad finem, sed etiam ipsorum efficaciam certam, vel assecutionem ipsam. Ordo igitur hujus gubernationis est *certus, immobilis, et indissolubilis* ; ita ut ab omni ordine gubernationis creatura non possit se totaliter subtrahere ; quamvis ab ali-

quo ejus ordine particulari declinare possit. Gen. 50. 20.

22. Gubernatio est vel *communis* vel *specialis*.

23. Communis est, qua Deus omnia simili modo gubernat. Ad hanc gubernationem pertinet: i°. lex naturæ omnium rerum communis: quæ est participatio quædam legis, et voluntatis divinæ, rebus omnibus a principio indita: Job 38. 12. *Ad unquam præcepisti matutino tempori? notum fecisti auroræ locum suum? etc.* ii°. inclinatio naturæ: quæ est principium agendi secundum illam legem: Job 5. 7. *Filii prunæ exultant volare.* iii°. instinctus naturalis: qui est peculiaris instigatio animalium ad actus quosdam nobiliores, cum specie quadam aut vestigio rationis: Prov. 6. 6. *Abi ad formicam o piger, aspice vias ejus, et sape.* Et 30. 24. *Quatuor ista sunt parva, humilia; tamen sunt sapientia, apprime sapientia: formicæ, mures, locustæ, araneæ.* Jer. 8. 7. *Ciconiæ, turtur, grus, et hirundo observant tempora adventus sui.* iv°. potentia quædam obedientialis, qua omnes creaturæ aptæ sunt ad imperio Dei parendum. Ps. 123. 21. et 148. 8. *Facientes placitum ejus, efficientes verbum ejus.*

24. Elucet ista gubernatio in omnium rerum operatione: i°. quod spectent semper certum aliquem finem; atque adeo necesse est, ut agantur et regantur ab intelligentia ubique præsentem et omnipotentem, id est, a Deo ipso: Job 38. 27. *Demittendo pluviam, ut satiet vastatum locum, efferatque productionem teneræ herbæ.* Esa. 55. 10. *Pluvia facit, ut terra edat semen satori, et panem comedenti.* ii°. quod tam accuratè ordinentur opera naturæ, et rationi consentaneæ, ut non possint non proficisci a summa ratione: Prov. 30. 25-28. iii°. quod præter ordina-

tionem propriam, qua singula suam perfectionem quæ-
runt, communem quasi societatem colunt, et omnia totius
universi conservationem magis appetunt, quam suimet
ipsorum: ut videre est in gravibus illis, quæ feruntur
sursum ad vacuum vitandum.

25. Gubernationis hujus vi, causæ omnes secundæ,
aliquo modo prædeterminantur, i.e. i°. excitantur ad agen-
dum per influxum, aut motionem præviam, quatenus ad
producendum illud in actum, quod antea fuit in potentia
creaturæ, præter communicationem virtutis, et ejusdem
sustentationem, tale quid necessariò requiritur: ii°. appli-
cantur ad objectum certum, circa quod in agendo versan-
tur. Ezech. 21. 21, 22. etc.; 2 Sam. 16. 10. Ejusdem
etiam gubernationis vi ordinantur, id est, i°. limites ac
termini actioni statuuntur; Job 11. 2. et 2. 6. et 38. 10.
ii°. boni aliquid ex eadem elicitur. Gen. 50. 20.

26. Provida ista gubernatio non patitur Deum apud
ullam gentem unquam expertem esse testimonii. *Ut quæ-
rerent Dominum, si forte palpando eum invenirent.* Act.
14. 17. et 17. 27.

27. Quia vero exercitium virtutis, quæ est in creaturis,
pendet ex Dei voluntate gubernante, hinc in Deum solum
confidimus, non in creaturas illas, per quas Dei benigni-
tas in nos derivatur.

CAP. X.

De Gubernatione speciali circa creaturas intelligentes.

In superiore disputatione fuit gubernatio communis :
sequitur nunc specialis.

1. Specialis gubernatio est, qua Deus rationales creaturas morali modo gubernat.

2. Differentiam facit singularis creaturam istarum conditio. Cum enim ad imaginem Dei creatæ sint atque intrinsecum principium suorum actuum habent a consilio, idcirco gubernandæ sunt consilio et libertati congruenter.

3. Realem tamen illam rationalis creaturæ gubernationem, quæ communis est creaturarum omnium, hæc specialis non excludit, sed ad eam accedit.

4. Moralis hæc gubernatio consistit in docendo, et implendo secundum illud quod antea docuit. Mic. 6. 8. *Indicavit tibi o homo quid sit bonum, etc.* Deut. 30. 15. *Vitam ac bonum: mortem ac malum.* Huc propriè pertinet voluntas illa Dei revelata, quæ agendi regula est rationali creaturæ quoad mores.

5. Docendo Deus gubernat, partim legem ferendo, partim eandem sanciendo.

6. Lex fertur præcipiendo et prohibendo.

7. Sancitur promittendo et comminando.

8. Implendo gubernat Deus, cum illa quæ docuit præstat. Jer. 32. 19. *Oculi tui aperti spectant in omnes vias hominum, ut des cuique secundum vias ipsius, et secundum fructum actionum ipsius.*

9. Ex speciali ista ac propria ratione gubernandi crea-

turas rationales existit fœdus illud, quod est inter Deum et ipsas. Est enim fœdus hoc quasi transactio quædam Dei cum creatura, qua Deus *præcipit, promittit, minatur, implet*, et creatura Deo stipulanti suum obstringit obsequium. Deut. 26. 16–19. *Hodierno die Iehovæ Deus tuus præcipit tibi, etc. A Iehova stipulatus es sponsonem hodie, etc. Iehova verò stipulatus est sponsonem à te hodiè, etc. tum ut efficiat te sublimen, etc. tum ut sis populus sanctus.*

10. Quia autem hæc fœderis ineundi ratio non est inter eos, qui sunt paris juris, sed inter dominum et servum, idcirco pertinet ad gubernationem. Unde etiam maxime proprie dicitur non fœdus hominis, sed Dei, qui ejus auctor est, et executor primarius. Deut. 8. 17, 18. *Ut præstet fœdus suum.*

11. Vi hujus fœderis moralia opera creaturæ intelligentis dum est in via; respectum semper habent, vel ad felicitatem ut præmium, vel ad infelicitatem ut vindictam; sed in hac est meritum, in illo non item.

12. Hinc boni operis, et peccati propria et ultima differentia fluit: nimirum, quod bonum opus sit operatio expectans felicitatem ab alio per modum præmii: sicut per ejus oppositam privationem, opera mala redduntur in suo genere summè mala, tam quod culpam, quam quoad reatum.

13. Hinc exoritur vis et ratio conscientiæ vel accusantis vel excusantis, quæ est iudicium intelligentis creaturæ de semetipsâ, prout subjicitur iudicio Dei. Rom. 2. 15.

14. Specialis gubernatio creaturæ rationalis est angelorum, et hominum.

15. Specialis gubernatio angelorum est vel præscriptio specialis vel ordinatio eventus inde sequentis.

16. Lex hæc eadem fuit quoad substantiam cum lege illa morali, quæ in Decalogo continetur.

17. Illa tamen in Decalogo sunt excipienda, quæ vel corporis humani naturam, vel hujus mortalis vitæ conditionem spectant, quæ in ipsis non habent locum: ut multa de propagatione ad septimum præceptum pertinentia: Matt. 12. 30. item multa ad quintum præceptum spectantia, de subjectione inferiorum erga superiores: item nonnulla ad octavum præceptum pertinentia, de cujusque in vocatione sua victus acquisitione: denique multa officia secundi et quarti præcepti ab hominibus præstanda.

18. Ordinatio eventus fuit in quibusdam præservatio ad persistentiam in obedientia. Hinc in bono fuerunt confirmati, et beatitudine plena donati, ita ut immutabiliter adhæreant Deo, cum obedientia perfecta et plenitudine gloriæ. Unde isti angeli dicuntur *electi*, 1 Tim. 5. 21; *boni et sancti*, Luc. 9. 26; *beati etiam et angeli lucis*. 2 Cor. 11. 14.

19. In aliis ordinatio eventus fuit permissio, unde illi libertate sua abutentes in apostasiam ruebant.

20. Hinc ab eo tempore obstinati sunt in malo, et ad miseriam summam damnati. Jud. 6; 2 Pet. 2. 4. Unde etiam *angeli mali, spiritus impuri, et angeli tenebrarum* appellantur. Luc. 8. 2. et 9. 42.

21. In ordinatione ista differenti, elucet manifestè quorundam angelorum electio et aliorum reprobatio, ex libero Dei consilio et beneplacito.

22. De tempore lapsus angelorum constat tantum, eum antecessisse lapsum Adami.

23. De genere peccati quod primo fuit ab ipsis admissum, maximè verisimile est superbiam, qua in se et suam propriam excellentiam inordinatè ferebantur, fuisse primum ejus motum : ex quo sequebatur invidentia circa excellentiam aliorum.

24. De pœna Scriptura testatur, quod maximo gradu adhuc non sit inflictæ, sed in fine mundi infligenda. Matt. 25. 41 ; 1 Cor. 6. 3 ; 2 Pet. 2. 4.

Sic fuit Gubernatio Angelorum :
sequitur Hominum.

25. In speciali gubernatione hominum duo item sunt observanda, ut in gubernatione angelorum : nempe præscriptio legis, et ordinatio eventus inde secuturi : omnium tamen in utraque parte non est eadem ratio.

26. In præscriptione legis similis est ratio : i°. in eo, quod lex præscripta hominibus et angelis eadem fuit quoad essentialiam ; moralis nempe, cujus summa est in Decalogo : ii°. in eo, quod inscripta fuit cordi per modum habitus, in quo prima ratio conscientiæ collocatur, quæ dicitur *συρτήρησις*. Rom. 2. 15.

27. Dissimilitudo vero et differentia est varia. Nam i°. principia quidem hujus legis sunt communia angelis cum homine, sed secundariæ deductiones multæ hominum tantum sunt propriæ : ut de parentibus, conjugio, cibis et similibus.

28. ii°. Cum homo natura sit imperfectior angelis, adeoque majore egeat instructione et exercitatione, idcirco positivum quid accessit ad legem naturæ, ejusdem alias rationis cum ipsa, ut diei septimi sanctificatio.

29. iii°. Quia homo in istac vita animali intelligit per

sensus, atque adeo a sensibilibus ad intelligibilia et spiritualia quasi manu ducitur, idcirco ad legem istam spiritualem homini adjuncta sunt externa symbola et sacramenta ad eam illustrandam et confirmandam. In hisce autem symbolis et lex quædam specialis ac positiva continebatur, et obedientiæ generalis professio erga legem naturæ prius inditam, et etiam sanctionis illius solennis confirmatio, quæ ex promissionibus et comminationibus constabat.

30. iv°. Quia Adam fuit principium generis humani, ex quo omnes homines erant progignendi, idcirco lex ipsi posita est, non tantum ut personæ uni singulari, sicut factum est in angelis, sed etiam ut publicæ, vel capiti naturæ humanæ, a quo omne bonum ac malum ad suos posteros fuit derivandum. Act. 17. 26; Rom. 5. 18, 19; 1 Cor. 15. 21, 22.

31. v°. In legis hujus sanctione continebatur promissio animalis vitæ continuandæ, et exaltationis postea ad spiritualem, nec non comminatio mortis corporalis, quæ in angelis nullum locum habuerunt.

32. Hac interpretatione adhibita, lex vel fœdus Dei cum homine in creatione fuit, *fac hoc, et vives; si non feceris, morte morieris*: in quibus verbis primo continetur præceptum, *fac hoc*: secundo, promissio connexa, *si feceris vives*: tertio, similis comminatio, *si non feceris, morte morieris*.

33. Huic fœderi duo symbola vel sacramenta fuerunt adjuncta: quorum uno præmium obsignabatur obedientiæ debitum, *arbore scilicet vitæ*: et altera pœna inobedientiæ, *arbore nempe scientiæ boni et mali*. Illud fuit sacramentum vitæ, hoc mortis.

CAP. XI.

De hominis Apostasia.

Superiore disputatione de parte prima specialis gubernationis hominum, quæ consistit in præscriptione legis, actum est: pars altera sequitur in ordinatione eventus.

1. IN ordinatione eventus quoad hominem duo sunt consideranda, ἀπόστασις et ἀνάστασις, *Defectio et Restitutio* hominis. Rom. 5. 19; 1 Cor. 15. 21.

2. In angelis fuit quorundam præservatio, aliorum apostasia, sed apostatarum nulla ἀνάστασις vel restitutio. In homine vero et præservatio et apostasia simul esse non potuit: quia homines omnes in uno Adamo tanquam in principio radice et capite creabantur: in uno autem et eodem Adamo, non potuerunt homines quidam a lapsu præservari, et alii labi.

3. In angelis nulla fuit ἀνάστασις vel restitutio; i°. quia prolapsi sunt ab altissimo sublimitatis fastigio; ii°. quoniam in Angelorum lapsu non tota Angelica natura periit: sed primo homine peccante totum humanum genus periit.

4. Apostasia hominis est lapsus ejus ab obedientia Deo debita: vel transgressio legis a Deo præscriptæ.

5. In hac duo sunt consideranda: i. transgressionis perpetratio; ii°. ejusdem propagatio.

6. Transgressionis perpetratio consummata fuit in esu fructus arboris prohibitæ quæ dicta fuit arbor scientiæ boni et mali: sed hujus inobedientiæ primus motus ac gradus necessario antecedebat externum illum actum

comestionis: ita ut rectè dicere liceat, hominem fuisse peccatorem, antequam externum illum actum comestionis perfecerat. Unde etiam ipse appetitus, quo ferebatur Eva versus fructum prohibitum, notari videtur quasi gradus aliquis peccati. Gen. 3. 6. *Quum videret mulier, bonum esse fructum arboris illius in cibum, et gratissimam esse illam oculis, ac desiderabilem esse arboris fructum ad habendum intelligentiam, accepit, et comedit, etc.*

7. Primus motus et gradus hujus inobedientiæ non potuit esse error ignorantia aut inconsideratio aliqua in intellectu. Neque enim peccatum fuisset, quod nullo modo voluntarium fuit; et talis origo gravitatem hujus peccati minuisset. Fuit igitur voluntatis intentio inordinata, ex qua sequebatur intellectus inordinatio, vel judicium inconsideratum. Illa autem intentio fuit inordinatus appetitus excellentiæ alicujus per elationem animi quam ut assequi posset, posthabito Dei interdicto, per infidelitatem experiri voluit, an fructus ille vetitus vim aliquam haberet excellentiam talem conferendi. Ordo et progressus hujusmodi ex tentationis historia confirmatur *Eritis sicut Dii, etc.*

8. Hinc hujus peccati gravitas, quod non solum superbiam ingratitude et infidelitatem in se continebat: sed etiam per violationem sacramenti illius maximè solennis, præ se ferebat quasi professionem inobedientiæ generalem, et fœderis totius contemptum. Quæ omnia etiam eo fuerunt atrociora, quo perfectior fuit conditio peccantis.

9. In transgressionis hujus perpetracione, duo sunt consideranda, causæ, et consequentiæ ejus.

10. Causarum una principalis, aliæ adjuvantes.

11. Causa principalis fuit ipse homo per liberi arbitrii sui abusum ; Eccles. 7. 29. acceperat enim illam justitiam, et gratiam, per quam poterat persistere in obedientia, si voluisset. Illa justitia et gratia non fuit ipsi detracta, antequam peccaverat ; quamvis gratia illa corroborans et confirmans, qua peccandi actus fuisset actu impeditus, et contrarius obedientiæ elicitus, non fuit ipsi concessa, idque certo sapiente et justo Dei consilio. Deus igitur nullo modo fuit causa lapsus, neque imposuit homini peccandi necessitatem : sed homo sua sponte liberè deficiebat a Deo.

12. Causæ adjuvantes fuerunt Diabolus et mulier.

13. Diaboli primum peccatum fuit superbia. Ex superbia statim sequebatur invidia erga Deum et Dei imaginem in homine. Quia enim inordinatam excellentiam affectando ordinatam amiserat, idcirco de aliorum excellentia dolebat, et ad eam oppugnandam malitiosè ferebatur. Diabolus autem non fuit causa cogens, neque sufficientis, directæ, necessariæ vel certæ efficacis, in istoc peccato procurando : sed consulens tantum, et suadens tentando, unde etiam Tentatoris nomen habet. Matt. 4. 3.

14. Tentatio Diaboli est fallacia vel argumentatio sophistica : qua sub specie veri et boni, seducere conatur ad falsum, et inducere in malum.

15. In ista tentatione, bonum, quod proposuit, et quasi promisit, ostendebatur quasi summum : medium adhibendum ad bonum illud assequendum proponebatur quasi facile ac leve : malum illud maximum, quod imminebat, fuit occultatum.

16. Similem planè rationem inire solet Diabolus in

omnibus suis tentationibus, quibus generi humano insidiatur; in hac tentatione tamen singulare quoddam artificium est observandum quod varias astutias complectitur, easque valdè subtiles.

17. Earum prima fuit, quod serpentem elegit pro instrumento, qui naturalem quandam aptitudinem habuit, qua Diabolus novit abuti. Gen. 3. 1.

18. Secunda astutia fuit, quod cum femina egit: 1 Tim. 1. 13. an vero præsentem, vel absentem viro, Scriptura tacet.

19. Tertia astutia fuit, quod nihil primo sermone statuebat: sed tantum mulieri quæstionem quandam proposuit, quasi inscius istarum rerum: *Etiāne dixisse Deum?*

20. Quarta, quod quæstio ejus multiplicem in sese habuit ambiguitatem. Sic enim intelligi potuit, ut non rogaret de mandato Dei, sed de sensu vel sententia illius mandati, ab homine forsitan non satis intellecti. Si de mandato ipso intelligatur quæstio, tum videri potuit rogasse an Deus interdixisset ipsis, ne de ullius omnino arboris fructu comederent: vel, prout mulier ipsa respondit, an interdixisset ipsis unius ullius arboris usu, atque adeo omnium simpliciter non fecisset iis copiam.

21. Quinta, quod mandato Dei per quæstionem illam prius in dubium vacato, sanctionem ejus vel comminationem adjunctam, apud nutantem feminam tam artificiose elevabat, ut vel veritatem, vel saltem necessitatem ejus negaret.

22. Sexta, quod post mandati et sanctionis ejus infirmationem, prædictionem planè contrariam opponit.

23. Septima, quod ad illam prædictionem confirman-

dam, et Dei nomine abutitur, et nomine quod arbori Deus imposuerat. Gen. 3. 5. *Novit Deus, quo die comederitis ex eo, aperturos se oculos vestros, et vos fore sicut Deos, scientes boni et mali.*

24. Hinc Diabolus dicitur serpens, mendax, seductor, homicida. Apoc. 12. 9; Joh. 8. 44; Apoc. 20. 10.

25. Cum hac tentatione Diaboli conjuncta fuit tentatio Dei, qua negotium istud sic ordinavit, ut manifestum inde fieret quid esset in homine. Hæc autem Dei tentatio, neque mala fuit, neque ad malum.

26. Tentationes istas sequebatur tertia: hominis nempe erga Deum, qua experimentum quodammodo sumpsit gratiæ ac veritatis divinæ: periculum scilicet faciens, an Deus vellet ipsum conservare, quamvis non adhæreret ipsi, vel an certo facturus esset, quod erat interminatus.

27. Illam quarta comitabatur: tentatio Evæ nempe erga seipsam, qua tentationem vel suggestionem Diaboli in se recepit, et sibimet applicavit ad ruinam.

28. Ex illa oriebatur quinta, qua mulier Diabolo inserviens, ut instrumentum ejus, Adamum tentavit: et ex illa sexta, qua Adamus semetipsum tentavit, dum mulieri ac Diabolo certo consilio consentiebat.

29. Istæ tentationes vel omnes, vel pleræque reperiuntur etiam in singulis hominum peccatis.

30. Atque sic peccatum illud fuit consummatum quoad humani generis defectionem in Adamo. Adam enim propriè fuit principium humani generis, non Eva: nisi quæ propter illum facta fuit, et cum illo unum et idem principium constituebat. Hinc est quod de secundo Adamo legimus in scripturis, sed non de secunda Eva.

CAP. XII.

De Ortis ex Peccato.

In superiore disputatione actum est de Apostasia, et ejus causis : sequuntur jam ex eadem orta.

1. ORTA ex peccato sunt, i^o. reatus et turpitude ; ii^o. pœna propriè et distincte sic vocata.

2. *Reatus* est obligatio peccatoris ad pœnam justam sustinendam propter culpam. Lev. 5. 2, 5, etc. *Reus est.* Rom. 3. 9. *Criminati sumus omnes esse sub peccato ;* et 19. *Mundus obnoxius condemnationi Dei.* 1 Cor. 5. 17. *Estis in peccatis vestis.*

3. Hinc illa distinctio in reatum culpæ et pœnæ, ut et distinctio Pontificiorum in remissionem pœnæ et culpæ, est distinctio sine differentia.

4. Reatus iste non est forma peccati, sed affectio vel adjunctum ejus consequens, partim separabile, et partim inseparabile.

5. Sequitur autem peccatum partim virtute legis divinæ, peccatis pœnam adjudicantis ; qua ratione boni aliquid in se habet et est a Deo ; atque hoc respectu Deus reatum illum a peccatis separare potest : quatenus tamen fluit ex peccato, et est dignitas vel meritum pœnæ, naturam ejus etiam participat, et est vitiosum quid ; atque hoc respectu a peccato separari nequit. Duplex hæc reatus consideratio innuitur Rom. 1. 32. *Dei jure agnito, eos qui talia faciunt, dignos esse morte.*

6. Ex isto reatu oriter conscientia prorsus mala : accusans nempe et condemnans justè. Atque hinc

sequitur horror, et fuga præsentiæ divinæ. Gen. 3. 8, 10; Heb. 2. 15; Rom. 8. 15.

7. *Turpitudō* est pollutio illa spiritualis, qua peccator destituitur nitore et honore, et fit vilis. Matt. 15. 11; Apoc. 22. 11.

8. Hæc turpitudō immediatè sequitur offensam peccati, et manet in peccatore, postquam actus peccati transiit, ac desiit esse: vocari solet macula peccati, corruptio, inquinatio, deformitas, dehonestamentum, nuditas, impuritas; labes, et aliquando culpa.

9. Ex ista turpitudine sequitur primo Dei aversatio, Esa. 1. 15. quæ etiam dicitur abominatio et detestatio, Prov. 3. 32. præcipuè respectu graviorum peccatorum; Prov. 6. 16; Jer. 16. 18. secundo hominis pudor ad confusionem. Gen. 3. 7. Pudor enim hujusmodi est metus exortus ex conscientia turpitudinis alicujus. Rom. 6. 21. *Quem fructum habebatis ex iis, de quibus nunc erubescitis.*

10. *Pœna* est malum peccatori propter peccatum inflictum.

11. Malum dicitur, quia est privatio boni. Non est autem privatio boni honesti, qua talis, ut peccatum, sed boni felicitis, respectu peccatoris, qui punitur.

12. Dicitur malum inflictum, non simpliciter contractum, quia pertinet ad justitiam retribuentem et vindicantem.

13. Infigi dicitur propter peccatum, quia respectum et ordinem semper habet ad meritum peccati: ad quod ex offensione, ratione prohibitionis, et ex reatu, ratione comminationis, sequitur pœna.

14. Pœna igitur propriè dicta non habet locum, nisi

in creaturis intelligentibus, in quibus etiam peccatum reperitur.

15. Quoniam peccatum per pœnam in ordinem redigitur: et peccatum in sese Dei bono aliquo modo adversatur, pœna autem creaturæ bono tantum: idcirco peccatum plus habet in se mali, quam pœna.

16. Hinc ne minimum quidem peccatum est admitendum, quamvis maxima pœna possit eo pacto vitari, aut maximum bonum procurari. Rom. 3. 8.

17. In pœnæ ordinatione, varia elucent Dei attributa, præcipuè sanctitas, justitia, et misericordia.

18. *Sanctitas* Dei latissima significatione est, qua immunis existit, et quasi separatus ab omni imperfectione. Esa. 6. 3; Apoc. 4. 8. Sed sanctitas illa Dei, quæ hic propriè elucet, est qua purus existens ab omni labe peccati, nulli peccato communicare potest. Ps. 5. 5. *Non es Deus fortis qui delectetur improbitate: non est commoraturum apud te malum.* Hab. 1. 13. *Purior es oculis, quam ut aspicias malum.*

19. *Justitia* Dei vindicans, quæ hic elucet, est qua malum infert male agentibus. 2 Thess. 1. 6. *Justum est apud Deum vicissim reddere iis qui affligunt vos afflictionem.*

20. *Justitia* hæc, qua simpliciter adversus peccatum exardet, dicitur ira; Rom. 1. 18; Eph. 5. 6. qua acrius quasi excandescit, dicitur furor; Deut. 29. 20. qua fert sententiam in peccatorem exequendam, dicitur iudicium; Rom. 2. 5. qua sententiam latam exequitur, dicitur proprie vindicta. Heb. 10. 30.

21. *Misericordia* hic elucens est, qua peccatum punit citra meritum condignum.

22. *Misericordia* hæc est vel clementia vel beneficentia

23. Clementia est, qua moderatur pœnas debitas. Lam. 3. 22. *Summæ benignitatis est, Iehova, quod non sumus absumti.*

24. Clementia apparet in patientia et longanimitate.

25. Patientia est, qua toleranter suffert peccatum, et peccatoribus parcit. 2 Pet. 3. 9.

26. Longanimitas est, qua diu vindictam suspendit. Exod. 34. 6.

27. Beneficentia est, qua dives bonitate multa bona effundit, etiam in peccatores. Matt. 5. 45.

Sic fuit peccati reatus, turpitude, et pœna in genere :
sequitur pœna in specie.

28. Pœna homini inflicta propter peccatum est Mors. Gen. 2. 17; Rom. 5. 12.

29. Mors hæc est misera privatio vitæ.

30. Per vitam hominis intelligitur et conjunctio animæ cum corpore, et tota illa perfectio, quæ homini in isto statu congruebat, sive actu fuit communicata, sive ex conditione communicanda. Ps. 36. 10. *Penes te est fons vitæ, in luce tua fruamur luce.*

31. Mors igitur non est a Deo ut naturam instituite, sed est a Deo ut peccatum vindicante; atque adeo a peccato proprie, ut causa meritoria vel procurante.

32. Est autem mors ista non simplex et nuda privatio vitæ, sed cum subjectione ad miseriam conjuncta: atque idcirco non est peccantis annihilatio, quia sublato miseriam subjecto et ipsa miseria tolleretur.

33. Mortis hujus imago et representatio quædam fuit ejectio hominis ex Paradiso, in qua vitæ symbolum continebatur. Gen. 3. 22, 23, 24.

Hactenus de Morte in genere : sequitur in specie.

34. In morte vel maledictione Dei, peccatores urgente, duo sunt gradus, inchoatio ejus, et perfectio: duo membra, pœna damni vel privativa, pœna sensus vel positiva: duæ species, mors spiritualis, et corporalis.

35. Spiritualis mortis inchoatio in genere damni, est imaginis Dei deformatio, id est, gratiæ ac justitiæ originalis amissio. Rom. 3. 23. *Deficiuntur gloria Dei.* Eph. 4. 18. *Alienati a vita Dei.*

36. Per hanc amissionem gratiæ, spoliationem patitur homo donorum omnium salutiferorum: atque ita natura debilitatur, deordinatur, et quasi vulneratur.

37. Spiritualis mortis inchoatio in genere sensus, est servitus spiritualis.

38. Servitus spiritualis est subjectio ad potestatem tenebrarum, sive hostium spiritualiter lethalium. Col. 1. 13. *Eripiat nos ex potestate tenebrarum.* 2 Pet. 2. 19. *A quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus.*

39. Servitus hæc est Diaboli, et eorum qui Diabolo inserviunt.

40. Servitus Diaboli est subjectio ad illam potestatem Diaboli, qua efficaciter agit in hominibus, et eorum respectu imperium habet mortis. Act. 26. 18; 2 Cor. 4. 4; Joh. 12. 31. et 16. 11; 2 Tim. 2. 26; Eph. 2. 2.

41. Servitus servorum Diaboli est mundi et peccati.

42. Servitus mundi, est subjectio ad irritamenta malorum, quæ in mundo reperiuntur. Phil. 3. 19; 1 Joh. 4. 5. et 2. 15, 16.

43. Servitus peccati est, qua homo adeo captivus factus

est sub peccato, ut exsurgendi ab eo non habeat potestatem. Rom. 6. 16, 17, 19, 20.

44. Per hanc servitutem fit, ut quamvis libertas arbitrii maneat, quæ est hominis naturæ essentialis, illa tamen libertas, quæ pertinebat ad perfectionem humanæ naturæ, cujus proprietas fuit ista potestas actus exercendi spiritualiter bonos, et illa ratione gratos, in statu peccati non reperitur, nisi remota et emortua.

45. Ex hac spiritualis mortis inchoatione sequitur peccati multiplicatio in vita præsentem.

46. Peccata ista sequentia habent aliquam rationem poenæ, respectu peccati primi. Rom. 1. 16.

47. Hæc autem ratio poenæ tribuitur peccatis istis, primò, ratione effectorum, aut consequentium eorum, quia mortem hominis promovent, et miseriam adaugent. Secundò, dicuntur etiam poenæ respectu illius internæ perpeccionis, cui homo in peccando subicitur, qua etiam deprimitur ejus natura, et redditur vilior. Tertio, dicuntur poena prioris peccati, quia præcedens illud peccatum causa fuit propter quam orbatu homo justitia illa, et gratia, vel auxilio divino, per quorum absentiam fit, ut homo ruat in ista peccata. Quarto, dici possunt etiam aliquo modo poena prioris peccati, quia præcedens illud peccatum causa fuit disponens et præparans hominem ad sequentia peccata perpetranda, atque illa ratione attulit homini ista omnia peccata, et quæcunque mala ipsa vel comitantur vel consequuntur.

CAP. XIII.

De Peccato Originali.

In præcedente disputatione ex spiritualis mortis inchoatione, tanquam consequens ponebatur multiplicatio peccati, quam sequentibus Thesisibus sic ostendimus.

1. Peccatum consequens lapsum illum primum est vel Originale vel Actuale.

2. Originale est totius naturæ hominis habitualis exorbitatio vel deviatio a lege Dei.

3. Quia totius est hominis corruptio, hinc vocatur in sacris Scripturis, *vetus homo*, Rom. 6. 6; Eph. 4. 22; Col. 3. 9. *corpus peccati*, Rom. 6. 6, 7, 24. *lex membrorum*, Rom. 7. 23; *et ipsa membra*, Col. 3. 5. *caro*. Joh. 3. 6; Rom. 7. 5, 18, 26.

4. Hinc etiam non generatim tantum toti homini, sed singulis etiam ejus partibus attribuitur in Scripturis homogenea quædam corruptela. Intellectui: Gen. 6. 5. *Figmentum et cogitationes tantummodo malum*. Rom. 8. 5, 6, 7. *Quæ carnis sunt sapiunt*. Conscientiæ: Tit. 1. 15. *Polluta est eorum mens et conscientia*. Voluntati: Gen. 8. 21. *Figmentum cordis hominis malum a pueritia ipsius*. Affectionibus omnis generis: Rom. 1. 24. *Cupiditatibus cordium ad impuritatem*. Corpori denique et omnibus ejus membris. Rom. 6. 19. *Membra vestra serva impuritati et iniquitati, ad iniquitatem*.

5. Peccatum hoc dicitur exorbitatio vel deviatio hominis, quia est in homine habitualis privatio conformitatis

debitæ ad legem homini impositam a Deo, in qua debuit ambulare tanquam in via sua.

6. Hinc per singularem quandam appropriationem originalis ista deprivatio dicitur *peccatum* in sacris Scripturis, vel *illud peccatum*, Rom. 6. 12, 7. 17; ἡ ἀμαρτία, Rom. 7. 8, 20; *lex peccati*, 7. 23; *peccatum inhabitans, inhærens, et circumcingens nos*. Rom. 7. 17, 20; 7. 21; Heb. 12. 1.

7. Perversio hæc duas habet quasi partes, unam formalem, et alteram quasi materialem. Jer. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt, etc. ut effoderent sibi cisternas*. Actualis peccati descriptio imaginem continet originalis, sicut filia matris.

8. Formalis est aversio a bono. Rom. 3. 12. *Non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum*.

9. Materialis est conversio et inclinatio ad malum. Rom. 7. 23, *Lex peccati*.

10. Per istam originalem depravationem fit, quod arbitrium hominis in statu peccati, quamvis liberum sit quoad actus omnes quos exercet, captivum tamen ac servum est, quoad modum agendi; quia destituitur ista virtute, qua bene vellet, et quasi informatur inclinatione illa, qua fit ut velit male, etiam cum bonum sit illud, circa quod volendo versatur. Rom. 3. 12; 7. 14; 2 Cor. 3, 5; Joh. 8. 34; 2 Pet. 2. 19; Rom. 6. 16.

CAP. XIV.

De Peccato Actuali.

1. Hactenus de Originali: sequitur Actuale.

2. Peccatum actuale est exorbitatio actus humani, vel deviatio ejus a lege Dei. 1 Joh. 3. 4. Fluit ab originali

peccato ut actus ab habitu: vel sicut personæ vitium fluit a vitio naturæ. Quo etiam respectu originale peccatum rectè vocatur fomes peccati.

3. Actualia igitur peccata quamvis quoad objecta sua, et speciales illas rationes, quibus in illa objecta feruntur, sint inter sese opposita sæpè: tamen quoad principium, aut fundamentum illud ex quo procedunt, sunt plane connexa et colligata. Jac. 2. 10; 1 Tim. 6. 9.

4. Distinguuntur inter sese peccata actualia variè. I. Quoad gradum, peccatum aliud est alio majus aut minus. Ezech. 5. 6. *Mutavit jura mea plus quam Gentes ipsæ*; et 8. 16. *Amplius adhuc visurus es abominationes majores istis*. Joh. 19. 11. *Majus peccatum habet*. Unde pœna peccati major est aut minor. Luc. 12. 47, 48. *Cœdetur multis plagis qui novit et non fecit: qui non novit et fecit, cœdetur paucis*. Matt. 11. 22, 24.

5. Pendet autem hæc differentia graduum; i°. a respectu personæ a qua admittitur; Num. 12. 14, unde differentia est inter scortationem, adulterium, et incestum; ii°. a genere et natura rei; Matt. 5. 21, 22. *Qui irascitur temerè: qui dixerit raca: qui dixerit fatue*. iii°. ab intentione et remissione actus; Phil. 3. 6. *Quod ad zelum, persequens ecclesiam*. 1 Tim. 1. 13. *Blasphemus, persecutor, contumeliosus*. iv°. a ratione et modo patrandi: vel enim fit ex ignorantia, vel ex infirmitate, vel elata manu; Num. 15. 27, 30. *Si anima peccaverit per errorem, offeret capram. Anima vero illa quæ commiserit elata manu, excindetur*. Ps. 19. 13. 14; 1 Cor. 6. 7. *Omnino defectus in vobis est*. v°. a circumstantiis loci, temporis et similibus. Esa. 26. 10. *Quum gratia fit improbo, non discit justitiam: in terra æquitatum iniquè agit*.

6. II. Differentia specifica peccatorum actualium est proprie privativa, et pendet formaliter ex differentia rectitudinum, a quibus actus illi deflectunt.

7. Distributio igitur peccatorum prout opponuntur præceptis Dei est maximè genuina.

8. III. Distinguitur peccatum actuale ratione partium, in peccatum omissionis et commissionis. Cum enim peccati originalis duæ sint quasi partes : aversio a bono, et conversio ad malum : peccatum actuale inde fluens duplicem induit rationem : ubi enim aversio a bono maximè apparet, dicitur illud peccatum omissionis : ubi vero conversio ad malum maximè apparet, dicitur illud peccatum commissionis.

9. Peccatum igitur omissionis est, non agere quod agi debuit. Jac. 4. 17. *Qui noverit recte facere, nec facit, is peccato tenetur.* Matt. 25. 42. *Esurivi, et non dedistis mihi quod ederem, etc.*

10. Peccatum commissionis est, agere quod agi non debuit.

11. Peccatum omissionis maximè directè adversatur præcepto Dei, et peccatum commissionis prohibitioni : in commissionis peccato est quædam additio, et in omissione est detractio a lege Dei : quorum utrumque prohibetur. Deut. 4. 2. 12-32 ; Apoc. 22. 18. 19.

12. Distributio hæc peccati non est in species ; i°. quia commissio et ommissio circa idem objectum, sub eadem ratione formali, non differunt specie, ut in avaritia : ii°. quia moraliter loquendo, non datur ommissio absque actu, vel præcedente, vel concomitante : iii°. quia ommissio non potest esse voluntaria, et libera sine actu, cui actui semper adhæret peccatum commissionis.

13. IV. Distribuitur peccatum ratione subjecti, in peccatum cordis, oris et operis: ita ut sit dictum, factum, aut concupitum contra legem. Esa. 28. 13; Matt. 5. 28; 15, 19.

14. V. Distribuitur ratione objecti, in peccatum illud, quod est adversus Deum, et in illud quod est adversus homines. Luc. 15. 18; 1 Sam. 2. 25. Non tamen eadem planè ratione respicit Deum et homines. Peccatum enim, quæ est transgressio legis Dei, offensio est adversus Deum tantum: sed materiali tamen ratione, quoad injuriam et damnum, quod per peccatum infertur sæpè hominibus, respectum etiam habet ad homines.

15. VI. Distribuitur peccatum ratione effecti, in peccatum vastans conscientiam, et non vastans; in regnans, et mortificatum; in remissibile et irremissibile: quæ tamen non sunt propriè hujus loci.

16. Ex hac peccati multiplicatione sequitur incrementum spiritualis mortis, et in genere damni et in genere sensus.

17. In genere damni, est conscientiæ securitas ac stupiditas, id est, privatio sensus peccati ac miseriæ.

18. Hæc securitas provenit a consuetudine peccandi et animi in peccatis obstinatione: peccata enim sive sint commissionis, sive sint omissionis, per multiplicationem diuturnam, in consuetudinem ducta, et inveterata, prævum habitum gignunt, ac quasi callum obducunt voluntati simul ac menti. Jer. 13. 23. *An mutare potest Æthiops cutem suam, aut pardus viventis maculas suas? etiam vos possetis benefacere, edocti malefacere.* Eph. 4. 19. *Postea quam dedoluerunt, sese dediderunt lasciviæ ad certatim patranda impuritatem omnem.*

19. In genere sensus, est conscientiae summus terror cum desperatione conjunctus. Heb. 10. 26, 27; Gen. 4. 13.

20. Terror hic oritur ex gravitate ac multiplicitate reatus, una cum inevitabilitate poenae imminantis.

21. In hac autem spiritualis mortis inchoatione, moderatio quaedam a Deo adhibetur. Moderatio hæc est vel interna vel externa.

22. Interna apparet adhuc in imaginis divinæ reliquiis. Jac. 3. 9. Istæ autem reliquiæ apparent, cum in intellectu, tum etiam in voluntate.

23. In intellectu, per principia illa veritatis, quæ judicium dirigunt, et theoreticum et practicum.

24. Theoretica principia sunt de vero et falso, quorum aliquam cognitionem habent omnes homines, qui aliquem usum habent rationis. Rom. 1. 20; Ps. 18. 2, 3.

25. Practica sunt de honesto et turpi, æquo et iniquo; Deum esse colendum; alteri non esse faciendum, quod quis sibi fieri non vult.

26. Hæc est lex inscripta cordibus omnium hominum. Rom. 2. 15. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

27. Ex his principiis conscientiae naturalis vis quaedam oritur: Rom. 2. 15. *Una testimonium reddente ipsorum conscientia, et cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus, quæ tamen una cum principiis istis est corrupta, atque adeo mortua. Tit. 1. 15. Polluta est eorum mens et conscientia.*

28. In voluntate apparent istæ reliquiæ, per inclinationem quandam ad bonum, eo modo cognitum: quæ quamvis evanida sit ac emortua, in omnibus tamen

aliquo modo reperitur. Unde etiam simulacra saltem virtutum ab omnibus probantur ac coluntur. 2 Tim. 3. 5. *Habentes formam pietatis.*

29. Ad voluntatem etiam pertinet una cum intellectu vis illa refrænans, qua excessus peccati in plerisque cohibetur, ita ut peccatores etiam abhorreant ab atrocioribus multis flagitiis. 1 Cor. 5. 1. *Ejusmodi scortatio, quæ ne inter Gentes quidem nominatur.*

30. Externa moderatio hujus miseræ est per media illa externa, politica, et œconomica, quibus peccati ac miseræ cursus aliqua ex parte solet impediri.

CAP. XV.

De Morte Corporali.

Hactenus de inchoatione mortis spiritualis, sequitur nunc de inchoatione mortis corporalis, cum utriusque ejus consummatione.

1. Corporalis mortis inchoatio in genere damni est vel interna vel externa.

2. Interna est amissio bonorum corporis interiorum: sanitatis nempe et vivacitatis. Deut. 28. 21, 22, 27, 35; 1 Cor. 11. 30; Matt. 9. 2.

3. Hinc mortalitas quoad statum et potentiam proximam ad mortem.

4. Mortalitas hæc enim est solutio sive laxatio illius vinculi, quo anima fuit cum corpore conjuncta.

5. Externa inchoatio hujus mortis in genere damni est amissio bonorum exteriorum, quibus vita ista vel honestabatur, vel sustentabatur.

6. In priore genere est, i°. amissio domini in creatu-

ras : quæ post lapsum exuerunt magna ex parte subjectionem illam erga hominem, ad quam conditæ fuerunt, et hostes ejus exitiales evaserunt, nisi providentia Dei singulari in ordinem redigantur : Job 5. 22, 23. *A bestiis terræ ne timeto. Nam cum lapidibus agri erit fœdus tuum, et bestię agri erunt pacatæ tibi.* Hos. 2. 18. *Pangam pro ipsis fœdus cum bestiis terræ.* ii°. ignominia illa, qua afficitur et vivens et mortuus. Deut. 28. 20, 37.

7. In posteriore genere est paupertas, vel amissio eorum quæ pertinent ad victum vestitum, et possessiones. Deut. 28. 17, 18.

8. Inchoatio hujus mortis in genere sensus est etiam vel externa vel interna.

9. Interna est in fatigatione, Gen. 3. 19. dolore et morbis. Deut. 28. 35.

10. Externa est in calamitatibus illis omnibus quibus hominis vita extrinsecus est obnoxia. Deut. 28. 25, 48.

11. Moderatio in ista corporali pœna elucens, est quoad interna et externa.

12. Quoad interna, quod vitæ spatium et commoditatem habet homo adhuc ex benignitate divina sibi concessam. Gen. 6. 3.

13. Quoad externa, quod reliquias quasdam habet veteris domini in creaturas. Gen. 9. 2. *Timor vestri, terrorque vestri inesto omnibus bestiis terræ, etc.* Ita ut quamvis exciderit homo per peccatum omni jure, quod antea habuit, utendi creaturis in suum commodum : ex concessione tamen et indulgentia divina, possit illis uti, et in eo non peccat, quod simpliciter utatur, quamvis peccet in modo utendi : quia dum conceditur et prorogatur ipsi vita, eo ipso conceditur simul eorum usus quæ

necessario requiruntur ad vitam, et ipsi aliquo modo debentur.

14. Hinc est, quod quamvis creaturæ vanitati et maledictioni subjectæ fuerint, propter peccatum hominis; Gen. 3. 17, 18; Rom. 8. 20, 22. conservantur tamen in illo statu, ut possint sufficere necessitatibus humanæ vitæ.

CAP. XVI.

De Consummatione Mortis.

1. Consummatio mortis est summus gradus pœnæ constitutæ, et in æternum duraturæ. Quoad gradum dicitur infinita.

2. Est autem infinita respectu damni tantum et privationis: quia est amissio boni infiniti: non respectu sensus aut positivæ afflictionis: infinita tamen positivè dici potest quoad rem affligentem, sed non quoad modum affligendi.

3. Hinc est quod gradus quidam sunt in ista pœna, pro varietate graduum, qui in peccatis reperiuntur. Luc. 12. 47, 48. *Cædetur multis plagis, cædetur paucis plagis.*

4. Quoad durationem, dicitur hæc pœna æterna, vel nunquam finienda. Mar. 9. 44, 46, 48.

5. Est autem æterna, i°. propter æternam permanentiam culpæ, ii°. propter immutabilitatem status, quem iste gradus pœnæ consequitur, iii°. propter satisfactionis defectum.

6. Hinc incorruptibilitas damnatorum est immortalitas eorum in morte, et ad mortem.

7. Spiritualis mortis consummatio in genere damni,

est totalis ac finalis derelictio, qua homo separatur penitus a facie, præsentia vel favore Dei. Matt. 7. 23. *Abscedite a me*; et 25. 41. *Abite a me execrandi*. 2 Thes. 1. 9. *Qui pœnam pendent æterni exitii, expulsi a facie Domini, et gloria virium ipsius*.

8. Hinc summa et æterna obduratio in malo et desperatio boni. Luc. 16. 26.

9. Spiritualis mortis consummatio in genere sensus est servitutis plenitudo, qua penitus traditur in Diaboli potestatem. Matt. 25. 41.

10. Hinc terrorum conscientiæ et peccati plenitudo. Peccant enim damnati, et peccabunt in æternum, quamvis neque eadem peccata quæ in hac vita, furtum puta, homicidium vel adulterium, neque ejusdem prorsus conditionis cum iis, quæ viventes admittebant. Peccant enim præcipuè odio, invidia, indignatione et similibus affectibus, quorum pœnæ acerbitas occasionem ipsis præbet. Hæc etiam peccata non habent post mortem eandem rationem meriti, quam habent in hac vita: quia tum neque ulla possibilitas est vitandi peccatum, neque locus est comminationibus ac incremento pœnæ ex ipsis.

11. Hinc peccata ipsa in damnatis plus habent rationis pœnæ, quam in viventibus: sed in viventibus plus habent rationis culpæ.

12. Conscientiæ terror est quasi vermis perpetuo rodens. Marc. 9. 44; Esa. 66. 24.

13. Consummatio mortis corporalis una cum spirituali, est primo, per separationem animæ a corpore; 1 Cor. 15. 42, 43. cui homogenea est commutatio illa quorundam quæ similis erit morti. 1 Cor. 15. 51, 52; 1 Thess.

4. 15, 16. Secundo per injectionem animæ et corporis in gehennam, seu locum illum quem ad summa tormenta peccatorum Deus præparavit. Apoc. 21. 8.

14. Hinc dolores et cruciatus maximi, tam animi, quam corporis. Luc. 16. 23.

15. Hinc lamentatio, ejulatio, stridor dentium et similia maximi cruciatus effecta. Luc. 13. 28.

16. De loco autem gehennæ, et de torturæ modo, et de natura externarum rerum quæ eò spectant, quia non sunt nobis cognitu necessaria, Scriptura nihil distinctè pronuntiavit.

CAP. XVII.

De Propagatione Peccati.

Hactenus actum est de transgressione : sequitur nunc de ejus propagatione.

1. Propagatio hæc est, qua tota posteritas hominis naturali modo ab Adamo descendens, particeps fit ejusdem cum ipso conditionis, Job 14. 4; Ps. 51. 7; Rom. 5. 14; Eph. 2. 3. et hoc justa Dei ordinatione; cujus æquitas apparet aliquo modo inter homines i°. jure naturali, quo innatæ qualitates a generante in genitum derivantur : ii°. jure hæreditario, quo onera parentum in filios transferuntur : iii°. jure talionis, quo boni rejectio, et mali permissio æqualiter extenduntur.

2. Propagatio hæc peccati duabus partibus constat, imputatione nempe, et reali communicatione.

3. Imputatione, idem singularis actus inobedientiæ, qui fuit Adami, fit etiam noster.

4. Reali communicatione, non idem singulare peccatum,

sed idem genere vel similis plane rationis ac naturæ, in nos derivatur.

5. Peccatum originale cum sit formaliter privatio justitiæ originalis, et hæc privatio sequatur peccatum primum tanquam pœna, hinc prius natura pœnæ rationem habet quam peccati. Prout a justitia Dei denegatur originalis illa justitia, eatenus est pœna : prout nobis debet inesse, et humana culpa deest, eatenus est peccatum.

6. Traducitur ergo hæc privatio ab Adamo, per modum meriti, quatenus est pœna ; et per modum efficientiæ realis, quatenus peccati rationem habet adjunctam. Ex eo enim quod quis nascitur filius Adami, dignus efficitur, ut justitia non donetur : illam cum debet habere et non habet, illa carentia est ipsi peccatum.

7. Unà cum ista privatione traducitur etiam ineptitudo et perversitas quædam corporearum omnium facultatum, quæ suo modo pugnant cum rectitudine Deo probata.

8. Ex privatione enim justitiæ, qua omnes facultates erant dirigendæ, sequitur in illis omnibus talis defectus, quo fit ut cum ad aliquid morale feruntur, illa ipsa inclinatio sit moraliter mala.

9. Ex istis oritur actuale quodlibet peccatum : mens enim cæca ex privatione lucis facilè admittit quoslibet errores : et voluntas aversa jam a Deo ardet amore sui et pravaram cupiditatum sine Deo.

10. Ex peccato sic propagato, sequitur etiam propagatio mortis, tam inchoatæ, quam consummatæ : tam quoad sensum, quam quoad damnum : tam corporalis, quam spiritualis, ad omnes posteros Adami.

11. Per apostasiam istam humani generis fit, quod fides nostra, qua jam credimus in Deum, non est simpli-

citer ad vitam, sed ad salutem. Non satis est enim homini lapsio, ut Deus illi vitam simpliciter donet, sed requiritur etiam ut eam homini in peccatis mortuo donare velit. Eph. 2. 1. Atque hæc una differentia fuit inter quæstionem adolescentis divitis, Matt. 19. 16. *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* et commentariensis illam, Act. 16. 30. *Quid me oportet facere ut server?*

CAP. XVIII.

De persona Christi Mediatoris.

Post hominis Apostasiam, consequitur ut Restitutionem ejus videamus.

1. Restitutio hominis est elevatio ex statu peccati et mortis in statum gratiæ et vitæ :

2. Causa hujus restitutionis fuit misericors Dei propositum. Eph. 1. 9. *Secundum suam gratuitam benevolentiam quam præstituerat in sese.* In homine enim nihil fuit, quod vim aliquam conferre potuit ad restitutionem istam procurandam : sed multum potius quod contra faciebat, ut peccatum, in quo fuit inimicitia erga Deum : quod illa ratione commendat hanc Dei erga nos charitatem. Rom. 5. 8. *Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.*

3. Restitutionis hujus partes duæ sunt, *redemptio* et ejus *applicatio*. Illa est quasi actus primus hujus restitutionis ; hæc quasi actus secundus. Illa est quasi materiale salutis nostræ ; hæc quasi formale. Illa est quasi sufficientia, hæc ipsa efficientia.

4. Partes istæ unius et ejusdem planè sunt latitudinis. Finis enim redemptionis est ejus applicatio: et prima ratio, regula, et mensura applicationis est eadem illa gratiosa Dei voluntas, quæ causa fuit ipsius redemptionis. Eph. 1. 9, 10. *Notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ, secundum gratuitam suam benevolentiam, quam præstituerat in sese, ut in plena temporum illorum præstitutorum dispensatione summatim recolligeret omnia in Christo.*

5. Redemptio igitur omnibus et singulis applicatur, quibus ex intentione Dei fuit impetrata, secundum illud Christi, Joh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.*

6. Redemptio est vindicatio hominis in libertatem a servitute peccati et Diaboli, per justii pretii exhibitionem. 1 Pet. 1. 18, 19. *Scitis vos non corruptibilibus rebus, argento vel auro, fuisse redemptos, sed pretioso sanguine.* 1 Cor. 6. 20. *Emti estis pretio; et 7. 23. Pretio emti estis.*

7. Neque enim per potentiam, neque per preces, primario effecta fuit hæc liberatio; quamvis etiam hæc suam vim habeant in istoc negotio perficiendo; sed per justii pretii solutionem.

8. Pretium istud, cum per hominem solvi non potuit, necessaria fuit opera Mediatoris, qui intercedere debuit inter Deum et hominem, faciens inter eos reconciliationem perfectam. 1 Tim. 2. 5; Act. 20. 28. *Ecclesiam Dei, quam suo ille proprio sanguine acquisivit.* 1 Tim. 2. 6. *Homo Christus Iesus qui sese ipsum dedit redemptionis pretium.*

9. Mediator autem hujusmodi, non uno tantum seculo datur, sed heri, hodiè et in æternum; Heb. 13. 8. *Iesus Christus heri et hodie idem est et in secula.* Apoc. 13. 8.

Agnus mactatus a jacto mundi fundamento; quamvis plenitudine temporis tantum manifestatus. Col. 1. 26; Tit. 1. 2; 1 Pet. 1. 20. Hæc mediatio enim in omnibus seculis fuit æque necessaria: ab initio etiam virtute decreti, promissionis, et acceptationis divinæ sufficiens et efficax.

10. Mediator iste unicus est Jesus Christus. Act. 4.

12. *Nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.*

11. In Christo duo sunt consideranda: i°. aptitudo quam habuit ad opus redemptionis per agendum: ii°. partes ipsius redemptionis.

12. Aptitudo ejus duabus partibus constat: prima est ipsius persona; secunda, officium huic personæ impositum.

13. In persona Christi Mediatoris, duo sunt observanda, distinctio duarum naturarum, et earum unio personalis.

14. Naturæ distinctæ sunt: Divina quatenus est secunda persona Deitatis, et humana, nostræ per omnia similis, excepto peccato et subsistendi modo. Matt. 1. 23. *Emmanuel, nobiscum Deus. Joh. 1. 14. Sermo ille factus est caro, etc.* Distinctio ipsa inter istas naturas manet: quia manent absolutè eædem quæ antea fuerunt, tam quoad essentiam, quam quoad essentielles omnes proprietates. Hinc nec Deitas in Christo cum humanitate, nec humanitas cum Deitate, commutatur, vel miscetur, vel ullo modo confunditur.

15. Unio personalis est: qua secunda persona Deitatis humanam naturam assumpsit, ut inseparabiliter subsisteret in eadem persona. Joh. 1. 14.

16. Persona enim secunda Deitatis, quamvis unicam habeat subsistentiam, duplicem tamen habet subsistendi rationem; unam in natura divina ab æterno, alteram in natura humana post incarnationem: Rom. 9. 5. *Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus secula. Amen*; quæ posterior subsistendi ratio convenit Filio Dei, ratione unionis quam habet cum natura humana.

17. Unio hæc personæ et naturæ divinæ nihil addit nisi relationem; in humana verò natura facit commutationem, dum elevatur hoc pacto ad summam perfectionem: fit enim quasi adjunctum proprium divinæ personæ, a qua assumitur: quasi membrum ejusdem integri *θεωρου*, cujus divina natura est quasi pars altera: et quoad subsistentiam quasi effectum, singulariter a divina natura sustentatum: ac etiam quasi subjectum, in quo divina natura singulariter habitat. Col. 2. 9.

18. Multis rationibus logicis, unionem istam describere conamur: quia nulla una sufficienter potest explicari.

19. Omnes illos terminos adhibemus quibus consensionis et unitatis fontes continentur, ut unionem istam arctissimam esse demonstremus.

20. Hosce tamen terminos limitatione illa *quasi* temperamus: quia unio hæc est mystica et arcana, ita ut vocibus et notionibus humanis non planè exprimat, sed adumbretur tantum.

21. Ex hac unione sequitur personalis communicatio proprietatum; quæ non est realis transfusio; tum enim divina natura acciperet proprietates humanæ, et humana acciperet proprietates divinæ, atque adeo humana esset

divina, et divina humana, vel tam divina quam humana cessaret esse. Neque est realis donatio, ex qua sequeretur quod humana natura posset uti proprietatibus divinis, tanquam suis instrumentis. Sed est communio vel concursus ad easdem operationes, ita ut simul præstentur ab utraque natura, sed secundum suas distinctas proprietates.

22. Hinc fit quod omnes actiones et passiones Christi, referuntur propriè ad ejus personam, tanquam ad terminum earum proprium, quamvis quædam ad unam, et quædam ad alteram naturam, propriè sint referendæ, tanquam ad earum principia et proprias rationes.

23. Atque hinc sequitur communicatio harum proprietatum quoad prædicationem vel attributionem, quo unius naturæ propria tribuuntur, vel toti personæ: ut cum Christus dicitur *mortuus*, quod proprium fuit humanæ naturæ, et fuisse *in principio*, quod proprium fuit divinæ: vel alteri naturæ propter personam, ut cum Deus dicitur *assumptus in gloriam*, 1 Tim. 3. 16; *crucifixus*, 1 Cor. 2. 8, quæ non divinæ naturæ propriè conveniunt, sed humanæ. Et quæ sunt totius personæ propria, alterutri naturæ seorsim tribuuntur: ut cum *homo Christus* dicitur *Mediator inter Deum et hominem*, 1 Tim. 2. 5, quod non venit Christo qua est homo, sed qua est Deus et homo.

24. Sicut autem communio illa propriè personam Christi respicit, non ipsas naturas in sese consideratas; sic ista communicatio, quæ in prædicatione versatur, Deum aut hominem in concreto respicit, non Deitatem aut humanitatem in abstracto.

25. Proprietatum igitur communicatio non est merè verbalis, neque tamen ita realis est, ut unius naturæ pro-

prietas transeat in alteram quoad intrinsecam possessionem et usurpationem.

26. Exempla quæ a contra-sentientibus adferi solent, de communione illa quæ est inter materiam et formam, inter animam et corpus, ac inter ferrum et ignem, neque conveniunt huic mysterio, neque thesin ipsam probant.

27. Duo fuerunt in Christo intellectus: unus divinus, quo omnia sciebat, Joh. 21. 17, et alter humanus, quo quædam nondum scivit. Marc. 13. 32. Duæ etiam fuerunt voluntates, una divina, Luc. 5. 13, et altera humana, una cum appetitu etiam naturali. Matt. 26. 39. Sic duplex est præsentia Christi: sed humana tamen neque ubique, neque in pluribus locis simul existere potest.

28. Quia Deus in Christo *θεανθρώπων* restituit nobis vitam, idcirco fides nostra fertur in Christum.

CAP. XIX.

De Officio Christi.

Hactenus de persona Christi, sequitur ejusdem officium.

1. Officium Christi est illud quod suscepit ad salutem hominibus acquirendam. 1 Tim. 1. 15. *Certus est hic sermo, et dignus modis omnibus qui recipiatur: Christum Iesum venisse in mundum, ut peccatores servaret.*

2. Qui enim negant finem proprium, Deo ac Christo propositum in isto mysterio, fuisse salutem hominum, Deum ac Christum suo honore et homines consolatione sua privant.

3. In eo duo sunt consideranda: vocatio ad hanc functionem et ipsa functio. Heb. 5. 4, 5, 6. *Neque sibi ipsi quisquam hunc honorem sumit, sed qui vocatur a Deo, sicut et Aaron. Ita et Christus, etc.*

4. Vocatio est actio Dei, κατ' ἐξουχίαν Patris, qua singulari quodam pacto inito, filium huic muneri destinavit.

5. Pactum istud exprimitur; Esa. 53. 10. ut si *Christus exponeret se sacrificium pro reatu, tum videret semen, prolongaret dies, et delectatio Iehovæ per eum prosperaretur.*

6. Vocatio igitur hæc in se continet selectionem, præordinationem et missionem. Esa. 42. 1. *Electus meus.* 1 Pet. 1. 20. *Præcogniti ante jacta mundi fundamenta.* Joh. 3. 17. *Misit Deus filium suum in mundum.* Vocatur in Scripturis obsignatio, Joh. 6. 27; sanctificatio, Joh. 10. 36; unctio, Esa. 61. 1, Ps. 45. 8, Heb. 1. 9; et donatio. Joh. 3. 16.

7. Electio respicit finem: præordinatio, media: missio ipsam executionem, ex mera gratia, sine ulla conditione prævisa, vel in hominibus, vel in ipso Christo.

8. Prædefinita fuerunt omnia, quæ Christus egit aut passus est, etiam quoad circumstantias omnes. Luc. 22. 22. *Filius hominis prout definitum est abit.* Act. 4. 28. *Ut facerent quæcumque manus tua, et consilium tuum prius prædestinavit ut fierent.*

9. Hæc autem vocatio non fuit ordinario modo instituta, sed juramento solenni confirmata, ad excellentiam et æternitatem ejus confirmandam, Ps. 110. 4; Heb. 5. 6. et 7. 24.

10. Functio ipsa ad quam Christus vocatur triplex est, *Prophetæ, Sacerdotis, Regis.*

11. Numerum et ordinem istum functionum ostendit, primo hominum necessitas, ex ignorantia, alienatione a Deo, et impotentia redeundi ad ipsum gravissimè laborantium: quorum primo medetur Prophetia Christi, secundo Sacerdotium, et tertio Regnum.

12. Secundo, hunc etiam numerum ostendit salutis conferendæ ordo, quæ prius debuit explicari, deinde acquiri, et tum postea applicari : quorum primum est Prophetæ, secundum Sacerdotis, et tertium Regia.

13. Tertio, idem ordo etiam apparet ex solenni illa exsequendi ratione, qua Christus primo docebat alios, voluntatem divinam ipsis declarando ; deinde semetipsum offerebat ; et postea Regnum suum ingrediebatur.

14. Prophetia Christi est, qua totam Dei voluntatem salutiferam perfectè revelavit : unde vocatur in Scripturis non tantum *Propheta*, Deut. 18. 15, Act. 3. 22 ; et *Doctor*, Matt. 23. 7 ; *Apostolus professionis nostræ*, Heb. 3. 1 ; et *Angelus fœderis*, Mal. 3. 1 ; sed etiam ipsa *sapientia Dei*, 1 Cor. 1. 24 ; et *thesaurus scientiæ atque intelligentiæ*, Col. 2. 3.

15. Prophetia hæc in Christo fuit tanquam in causa principali : in aliis, sive sint angeli, sive homines, tanquam in ejus instrumentis. 1 Pet. 1. 11. *Prophetæ scrutati sunt in quem aut qualem temporis articulum, prænunciis ille qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet, etc.* Et 3. 19. *Per quem spiritibus qui sunt in carcere profectus prædicavit.* In Christo fuit per modum habitus, ita ut potuerit, quum ipsi placeret, omnia Dei arcana revelare : in aliis vero per modum actus et coruscationis, ita ut non potuerint prophetiam exercere, nisi certis temporibus quum ipsi placebat. Jer. 42. 7. *Exactis decem diebus fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam.*

16. Ut talis esset Propheta, necesse fuit ut esset Deus, Joh. 1. 18. et 3. 13, atque simul etiam, ut esset homo. Act. 3. 22. compara cum Deut. 18. 15. Nisi enim Deus fuisset ; neque perfectè intellexisset voluntatem Dei,

1 Cor. 2. 11, 16. neque per omnia secula potuisset eam revelare: nisi homo fuisset, non potuisset eam hominibus commodè in sua propria persona explicare. Heb. 1. 1.

17. Sacerdotium Christi est, quo peccata hominum expiavit, et Dei favorem ipsis conciliavit. Col. 1. 20. et 22; 2 Cor. 5. 15; Rom. 5. 10.

18. Non fuit legale hoc sacerdotium, aut temporarium, sed secundum ordinem Melchisedech, Heb. 7. 17. non ex præcepto carnali, sed ex vi indissolubilis vitæ, *ibid. vers.* 16. non ordine infirmo et mutilato, sed stabili et consummato, *ibid. vers.* 18. et 19. non ad tempus, sed in æternum, *ibid. vers.* 24. nullum denique successorem aut vicarium admittens, sed perpetuum, et Christi proprium, ut semper viventis. *Ibid. vers.* 24. et 25.

19. In isthoc munere fuit ipse Christus sacerdos, sacrificium, et altare. Sacerdos fuit secundum utramque naturam. Heb. 5. 6. Sacrificium maximè propriè fuit secundum humanam naturam: unde hoc in Scripturis tribui solet non tantum Christi personæ, sed ipsius *corpori*, Heb. 12. 13; 1 Pet. 2. 13; Col. 1. 22; *sanguini*, Col. 1. 20; *et animæ*: Esa. 53. 10; Matt. 20. 28. præcipua tamen vis, qua sacrificium hoc efficax reddebatur, pendebat ex natura divina: quod scilicet Filius Dei offerebat semetipsum pro nobis. Act. 20. 28; Rom. 8. 3. Altare fuit propriè secundum naturam divinam; Heb. 9. 14. et 13. 10, 12, 15. altaris est enim sanctificare illud quod in ipso offertur, atque adeo majoris debet esse dignitatis quàm ipsum sacrificium: Matt. 23. 17. Christus autem per divinam naturam sanctificavit aliquo modo semetipsum secundum humanam. Joh. 17. 19.

20. Hinc igitur etiam apparet quam necessarium fuerit, ut Christus Mediator esset et Deus et homo : nisi enim homo fuisset, non fuisset idoneum sacrificium : et nisi Deus fuisset, sacrificium illud non fuisset sufficientis virtutis.

21. Regnum Christi est, quo cuncta cum auctoritate aut potentia dispensat ac administrat, quæ spectant ad hominum salutem. Ps. 2. 6 ; Dan. 2. 44 ; Luc. 3. 33.

22. Hujus Regni proprietates sunt : i°. quod sit universale 1. respectu omnium seculorum ; Matt. 22. 43, 44, et 45. 2. respectu omnis generis hominum ; Dan. 7. 14 ; Apoc. 17. 14. 3. respectu omnium etiam creaturarum, prout aliquo modo spectant ad salutem hominum promovendam aut illustrandam. Eph. 1. 1, 22.

23. ii°. Quod sit in ipsas animas et conscientias hominum. Rom. 14. 17.

24. iii°. Quod vitam ac mortem æternam dispenset. Apoc. 1. 18.

25. iv°. Quod sit æternum. Dan. 2. 44. et 7. 14.

26. v°. Quod summam pacem ac perfectam felicitatem adferat iis, qui sunt ejus hæredes. Esa. 9. 6 ; Eph. 2. 16 ; Heb. 7. 2.

27. Hinc Regnum illud in scripturis dicitur Regnum *Dei*, passim : regnum *pacis*, *gloriæ*, locis supra citatis : et regnum *lucis ac gloriæ*, regnum *caelorum*, et *mundus futurus*. Heb. 2. 5.

28. Atque hinc etiam apparet quam necessarium fuerit, ut Christus Mediator esset et Deus et homo : nisi enim Deus esset, non posset esse spiritualis Rex animarum nostrarum, vitam ac mortem æternam dispensans :

et nisi homo fuisset, non potuisset esse caput ejusdem generis cum corpore.

29. Christus in officiis suis omnibus habuit typos: in prophetico habuit etiam homines ita sibi subordinatos, ut illi etiam appellati sint prophetæ: sed sacerdotium, et regnum ejus non admittunt hujusmodi subordinationem: neque munere sacerdos aut rex spiritualis unquam fuit quisquam, præter Christum solum.

30. Ratio discriminis est, quod voluntatis divinæ declaratio apud homines, quod est prophetæ, potest aliquo modo per merum hominem præstari: sed expiatio peccatorum coram Deo, quod est sacerdotis, et imperium in animas et conscientias hominum, quod est regis, nequaquam.

31. Reges gentium Christo non subordinantur propriè in auctoritate sua, sed Deo.

CAP. XX.

De Satisfactione.

1. Redemptionis partes duæ sunt, Christi ut Mediatoris nostri humiliatio, et ejusdem exaltatio.

2. Humiliatio est, qua subditus est justitiæ Dei, ad illa omnia perficienda, quæ requirebantur ad hominis redemptionem. Phil. 2. 8. *Habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem.*

3. Humiliatio ista non fuit propriè naturæ aut personæ divinæ in sese consideratæ, sed mediatoris *θεωρου*.

4. Assumptio igitur humanæ naturæ, simpliciter et in se considerata, non est humiliationis hujus pars: quia

fuit actio solius Dei: sed status ille servi, qui assumptionem naturæ humanæ comitabatur, fuit prima et propria ratio humiliationis. Hujus tamen conditionis respectu, per relationem inde redundantem, persona ipsa divina rectè dicitur exinanita fuisse, Phil. 2. 7. quia existebat in illa forma, quæ ad tempus vacua fuit omni gloria, et majestate divina. Comprimebat enim et occultavit sese divina majestas, per totum illud spatium humiliationis, ne constanter exereret illam dignitatem, quæ postea apparuit in exaltatione.

5. Humiliationis hujus finis est, satisfactio et meritum.

6. Satisfactio dicitur, qua ordinatur ad Dei honorem, per compensationem quandam injuriæ ipsi per peccata nostra factæ. Rom. 3. 25. *Quem præstituit Deus, ut esset placamentum per sanguinem ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ.* Ostenditur hoc omnibus illis Scripturæ locis, quibus dicitur Christus *pro nobis mortuus*, illa enim efficientia hac phrasi denotatur, quæ Paulo aut Petro in ipsorum morte non potest attribui, 1 Cor. 1. 13. quæ condemnationem tollit, Rom. 8. 34. quæ denique reconciliationem ad salutem secum adfert. Rom. 5. 10.

7. Idem etiam est quod significatur, cum dicitur *pro nobis factus peccatum*; 2 Cor. 5. 21. alia enim ratione non potuit fieri peccatum, quam vel interna pollutione, vel externa reputatione: a pollutione autem maximè abfuit: neque imputatio peccati alia ratione ipsi conveniebat, quam ut poenas peccato debitas pro nobis posset subire.

8. Eadem ratione dicitur *peccata nostra portasse*; Esa. 53. 4. neque enim patientiæ alicujus tolerantiam sonat ista phrasis in Christo, portando enim sustulit peccata mundi; Joh. 1. 29. neque potestatem solam indicat

auferendi peccata : portavit enim in corpore suo super crucem. 1 Pet. 2. 24.

9. Similis est vis illius formulæ, *solvit pro nobis pretium redemptionis* : Matt. 20. 28. neque enim mera liberatio illa phrasi significatur, neque quodlibet ejus medium ; quia pretium ipsum nominatur, et ejusdem communis rationis esse innuitur cum argenti vel auri solutione ad res venales mercandas, 1 Pet. 1. 18 ; et applicatio etiam hujus pretii accedit, Heb. 9. 13, 14, 15. *Sanguis aspergens inquinatos* ; et 10. 22. *Aspersione purgatis cordibus a conscientia mala* ; ita ut ipse Christus idcirco sit mediator, quia dedit semetipsum *redemptionis pretium*, 1 Tim. 2. 5, 6 ; et idcirco nos participes reddamur illius redemptionis, quia Christus sese tradidit pro nobis, Gal. 2. 20, et nos credimus in ipsum, Joh. 1. 12, ac per ipsum in Deum. 1 Pet. 1. 21.

10. Eodem etiam sensu dicitur *oblatio et victima* pro peccatis nostris. Eph. 5. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantie*. Tam verum enim ac proprium fuit sacrificium pro peccata, ut cætera omnia quæ antecederant, umbræ fuerint hujus, et post illud peractum, nec opus sit, nec liceat aliud ullum offerre. Heb. 10. 12, 14.

11. Pendet autem totum hoc mysterium ex eo, quod Christus constitutus sit talis mediator ; ut sit etiam sponsor, Heb. 7. 22, et commune principium redimendorum, sicut Adamus fuit creatorum et perditorum. Rom. 5. 16-19 ; 1 Cor. 15. 22.

12. In eadem Christi humiliatione fuit etiam meritum, qua ordinatur ad nostrum commodum, vel ad boni aliquid sub ratione mercedis nobis acquirendum. Osten-

ditur hoc omnibus illis Scripturæ locis, quibus dicitur obedientia sua procurasse nobis justitiam, Rom. 5. 19, *justi constituuntur*; favorem Dei, Rom. 5. 10, *reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus*; ac vitam æternam. Rom. 5. 21. *vita æterna in Christo Iesu.*

13. Meritum et satisfactio Christi non differunt re ipsa, ita ut in variis et inter se differentibus operationibus debeant quæri: sed varia ratione in una et eadem obedientia debent agnosci.

14. Neque ab ista dignitate et usu, excludi debet ulla pars illius obedientiæ, quæ in humiliatione Christi reperitur.

15. Exaltatio verò Christi quamvis sit mediationis ejus pars essentialis, non pertinet tamen ad ejus meritum vel satisfactionem.

16. Satisfactio hæc, quoad substantiam rei, fuit perfecta ex rigore justitiæ: gratiam tamen præsupponit, qua vocatus fuit Christus ad opus hoc præstandum; et qua præstitum acceptatum fuit nostro nomine, et in bonum nostrum; qua denique ex pacto remunerante perficitur illud, quod in ista satisfactione quærebatur. Joh. 3. 16. *Ita dilexit mundum, ut dederit filium suum unigenitum*; Rom. 3. 24. *Justificantur gratis, ejus gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo*; et 5. 15. *Gratia Dei et donatio per gratiam, quæ est unius illius hominis, Iesu Christi.*

17. Hinc summa justitia et summa gratia simul manifestantur et operantur in hominis redemptione: Rom. 5. 17. *Exundantiam illam gratiæ, et donum justitiæ accipiunt*; ita ut satisfactionis hujus fructus omnes rectè simul dicantur fructus et effecta gratiæ et misericordiæ Dei.

18. Satisfactio hæc valorem habuit sufficientem, et

aliqua ratione infinitum : primo, a persona offerentis, qui fuit Deus : secundo, a dignitate et præstantia rei oblatae, obtulit enim semetipsum Deum et hominem : tertio, a modo offerendi, cui divina quædam perfectio inluit ratione hypostaticæ unionis.

19. Sicut enim gravitas injuriæ crescit ex dignitate personæ offensæ, quia ibi læditur dignitas personæ offensæ : ita valor satisfactionis crescit ex dignitate satisfaciens quia hic spectatur exhibitio honoris, qui pendet ex dignitate personæ exhibentis.

20. In satisfactione etiam non actus tantum aut passio, sed ipsa etiam persona quæ agit et patitur, voluntarie submittitur obsequio illius, cui honor ille exhibetur ; modus etiam operationis fluit semper ab operante cum proportione.

21. Ubi illud etiam observandum, quod substantialis dignitas qualis in Christo fuit, magis propriè confert ad dignitatem operis, quam accidentaria, qualis est in hominibus quibusdam præ aliis : principibus puta, sapientibus, aut parentibus.

22. Ex ista dignitate personæ factum est, quod satisfactio Christi fuerit sufficiens quoad substantiam : et superabundans quoad quasdam circumstantias, quæ Christo minimè conveniebant.

CAP. XXI.

De Vita Christi humiliati.

1. Partes humiliationis Christi duæ sunt : vita et mors.

2. Vitæ partes duæ, prior in conceptione ac nativitate, secunda postquam natus fuit.

3. Ad conceptionem duo principia cooperabantur, passivum unum, et alterum activum.

4. Passivum fuit beata virgo Maria: quæ dicitur passivum principium, non quod nihil egerit ad Christi procreationem, sed quod nihil ex sese egerit, nisi quod materiam illam subministrabat, ex qua formata fuit Christi caro. Neque tamen immediatè idoneam potuit eam adferre (nam nullam habuit puram) sed idonea facta est per præparationem et sanctificationem quandam supernaturalem. Luc. 1. 35. *Propterea quod nascetur ex te sanctum.* Verè tamen ac realiter fuit Christus Filius Mariæ et semen mulieris ab initio promissum. Neque idcirco duæ sunt in Christo filiationes realiter distinctæ, vel duo filii conjuncti. Temporalis enim illa filiatio, quæ refertur ad matrem, fuit respectus rationis tantum. Natura quidem Christi humana realem rationem habuit ad Mariam ut ad causam. Filiatio autem nullo modo convenit naturæ, sed personæ soli: illa tamen relatio est naturæ humanæ ad personam, et Mariæ ad illam naturam, ut verè ac recte dici possit, *Maria fuit mater Dei.*

5. Activum principium hujus conceptionis non fuit vir, unde beata Maria mater et virgo simul fuit, Matt. 1. 23; Esa. 7. 14. sed Spiritus Sanctus. Nec tamen potest Christus appellari Filius Spiritus Sancti, ne in quantum quidem est homo; neque enim quatenus est homo ejusdem est naturæ cum Spiritu Sancto, neque convenit naturæ sed personæ ut filii rationem subeat.

6. In primo instante hujus conceptionis accepit Christus secundum humanam naturam plenitudinem omnis

gratiæ quoad actum primum; Joh. 1. 14. *Plenus gratiæ ac veritatis*; Luc. 2. 40. *Implebatur sapientia*, ita tamen ut augeri potuerit quoad actus secundos, et per extensionem ad objecta nova. Luc. 2. 52. *Proficiebat sapientia*.

7. Hinc Christus fuit quidem ab instanti conceptionis beatitudine ditatus, sed ita ut more viatorum in illa progressus fecerit, usquedum pervenerit ad summam exaltationem.

8. In nativitate Christi fuit summæ paupertatis humilitas, cum attestatione summæ gloriæ: ut utraque natura, et utraque mediationis pars ab initio possit indicari.

9. Terrestria omnia quæ ad nativitatem Christi spectabant erant humillima: sed angeli et stellæ cœli gloriam illam indicabant, qua omne genus hominum commovebatur, pastores, Magi, Herodes et sacerdotes, cum tota plebe. Luc. 1. 18; Matt. 2. 2, 3.

10. Nativitatis hujus ratione fuit secundum carnem filius Patriarcharum totius mundi, attamen specialiter fuit semen illud Abrahami, in quo omnes gentes erant benedicendæ, et Filius ille Davidis, qui regnum non hujus mundi, sed alterius possessurus erat in æternum. Joh. 18. 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo*. Luc. 1. 33. *Regnabit in domo Iacobi in æternum, et regni ejus non erit finis*.

11. Tempus, locus et circumstantiæ similes, nativitatem istam comitantes, eandem veritatem manifestam faciebant.

12. Post nativitatem Christi fuit vita ejus privata et publica.

13. Privatam vixit ante publicam ; quia sic postulabat conditio humana, cui semetipsum subjecerat ; quia sic lex Dei constituerat, et sic etiam hominum infirmitas requirebat, ut per gradus ipsis appareret Sol justitiæ et ab omni imperfecto ad perfectum quasi manu ducerentur.

14. In privata vita fuit infantia et subjectio erga parentes.

15. In infantia fuit, i°. circumcisio et oblatio, ii°. fuga in Ægyptum et inde reditus.

16. Circumcisus et oblatus fuit Christus, quia subiciebat se Legi, non æternæ soli et morali, sed etiam ceremoniali, et cuilibet divinæ.

17. Ceremoniales istiusmodi observationes totidem fuerunt peccati confessiones : Christus igitur, qui factus est peccatum pro nobis, congruenter etiam illis factus est conformis.

18. Fuerunt etiam modi quidam externi ad cultum divinum pertinentes : Christus igitur eos observavit, ut omnem justitiam posset implere.

19. Fuerunt denique typi quidam Christum adumbrantes : hos ut posset implere, et eosdem quasi hoc pacto sanctificare, illos voluit sibimet applicare.

20. Circumcisio fuit sigillum fœderis Dei.

21. Oblatio fuit præsentatio ac dedicatio primogeniti Deo facta : congruenter igitur Christus fuit et circumcisus et oblatus, quia fœdus illud salutare suo sanguine esset confirmaturus, et inter primogenitos solus fuit perfecte sanctus Deo, cujus reliqui omnes tantum typi fuerunt.

22. Fuga in Ægyptum et inde reditus fuit : i°. ut

ab initio ætatis ostenderet, se ad miseriam subeundam esse natum ; ii°. ut pro ratione status ad quem se submiserat, humano more prospiceret suæ vitæ ; iii°. ut ostenderet simul se illum esse, qui educturus nos erat ex Ægypto spirituali in terram promissam.

23. In subjectione erga parentes, quæ pertinet ad quintum præceptum Decalogi, ostendebat se subjectum toti Legi morali ; i°. quia eadem est ratio unius præcepti et omnium ; ii°. quia nulla pars est obedientiæ moralis, quæ magis aliena videri possit a Christo Domino cæli et terræ, quam subjectio erga homines.

24. Quamvis hæc obedientia legalis a Christo jam homine facto jure creationis exigebatur, quoniam tamen non pro seipso, sed pro nobis homo factus est, pars fuit humiliationis et satisfactionis ac meriti illius, quod Deus pro nobis ab illo postulavit et acceptavit.

25. In subjectione ista duo sunt observanda, exceptio quam patiebatur, et effectum quod producebat.

26. Exceptio fuit disputatio, quam habuit cum scribis, cum duodecim tantum esset annorum.

27. Disputatio hæc prævia testificatio fuit publicæ illius vocationis, qua ordinatus ac missus est magister ac doctor Israelis.

28. Fuit etiam in documentum, quod scientia ac sapientia illa, qua præditus fuit Christus, non fuit progressu temporis acquisita, sed ab initio divinitus collata vel infusa.

29. Effectum hujus subjectionis fuit labor manuum, id est, nostræ illius maledictionis toleratio, qua fit ut cum labore illo panem comedamus in sudore faciei.

30. Vita publica est, qua palam manifestavit se esse

Messiam. In hac vita fuit, i°. initiatio, ii°. peractio, iii°. conclusio.

31. Ad initiationem pertinet Baptismus, et Tentatio.

32. Baptismus Christi fuit publica illius inauguratio ad officium suum publicè fungendum : in eo igitur tria Christi munera asseruntur et confirmantur.

33. Asseruntur Patris testimonio publicè pronunciantis, Jesum Christum esse Filium suum, atque adeo Regem a se constitutum, esse etiam illum in quo sibi complacuit, id est, summum Sacerdotem, qui sua intercessione ablaturus erat peccata mundi, et summum Prophetam. Matt. 3. 17. et 17. 5. *Hic filius meus in quo acquiesco: ipsum audite.*

34. Confirmantur eadem munera signis: apertione scilicet cœli, descensu Spiritus Sancti sub corporea specie columbæ super Christum acquiescentis, ac voce audibili cœlitus demissa, qua testimonium Patris fuit significatum.

35. Confirmata etiam fuerunt testimonio Ioannis; qui constitutus fuit in testem, præconem, et præcursores Christi; et partim revelatione Spiritus, partim autem signis illis antepositis, certior factus de Christo, de ipso apud alios testabatur.

36. Baptismo insuper Christi confirmatus fuit et sanctificatus Baptismus noster; et simul indicata persona, cui ita adhæret Baptismus, ut vis ejus tota in ipso sit quærenda.

37. Tentatus fuit Christus ut ostenderet se multo fortiosem esse primo Adamo, et tentationes etiam vincere posse, ac nobis etiam succurrere cum *συμπαθεία*.

38. Peractio vitæ publicæ fuit, i°. in paupertate et labore.

39. Paupertas Christi fuit sine voto singulari, et sine mendicitate.

40. Labor Christi fuit in peregrinatione variarum regionum, vigiliis et omnium virium intentione maxima ad benefaciendum.

41. ii°. Peragebatur hæc Christi vita publica in prædicando ac miraculis edendis. Prædicationi Christi adjuncta semper fuit quoad ipsum gratia et auctoritas; quoad alios vel apertio vel obduratio cordis.

42. Prædicationis objectum Euangelium vel Regnum cœlorum proprie fuit. Marc. 1. 14. *Prædicans Euangelium regni Dei.*

43. Miraculorum finis fuit; i°. personam Christi demonstrare; ii°. doctrinam ejus confirmare; iii°. spiritualia ipsius operationes significare.

44. Miracula edidit Christus in angelis, hominibus, brutis, et inanimatis: in cœlo, terra, aère et mari: in corporibus et spiritualibus, ut ostenderet universalem suam ac divinam potestatem in omni genere rerum æquivalentem.

45. Conclusio vitæ Christi fuit in ipsa præparatione ad mortem.

46. Præparatio ad mortem fuit in discipulorum instructione et consolatione.

47. Instructio hæc et consolatio partim adhibita fuit in transfiguratione, Luc. 9. 31. *Moses et Elias visi cum gloria dicebant ipsius exitum;* et sacramentis illis, quæ singulari quadam ratione ad mortem Christi spectant; Paschate scilicet et cœna Dominica: partim in exemplo, Joh. 13. 15. *Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita et vos faciatis:* partim in ultima ejus

concione, Joh. 14. 15, 16, et partim in oratione. Joh. 17.

CAP. XXII.

De Morte Christi.

1. Mors Christi est ultimus humiliationis actus quo subiit extremas, horribiles, et maximas pro hominum peccatis pœnas.

2. Fuit actus Christi, et non mera passio : quia seipsum ex consilio disposuit ad eam subeundam et sustinendam. Joh. 10. 11. *Ego sum pastor ille bonus : bonus pastor animam suam deponit pro ovibus ;* 18. *Nemo tollit eam a me, sed ego depono eam per meipsum.* Eadem etiam ratione fuit voluntaria, non coacta : et ex potestate, non ex infirmitate tantum : ex obedientia erga Patrem, et amore erga nos, non ex proprio reatu vel merito : ad satisfactionem, vincendo ; non ad perditionem, succumbendo.

3. Continebat pœnas maximas : quia miseriam illam totam æquabat, quam hominum peccata merebantur. Hinc illa copia verborum et phrasium, quibus in Scripturis ista mors designatur. Non enim simpliciter mors appellatur, sed etiam *succisio, abjectio, conculcatio, maledictio, plagarum accumulatio,* et similia. Esa. 53 ; Ps. 22.

4. Istas autem pœnas sic continebat, ut earum duratio, deordinatio, et circumstantiæ similes, quæ peccatorum omnium damnatorum pœnas comitantur ab ista morte fuerint remotæ. Act. 2. 24. *Fieri non poterat, ut ipse a morte retineretur.* Ratio est, primo, quia hujusmodi circumstantiæ non sunt de essentia ipsius pœnæ : sed adjuncta pœnam illam consequentia et comitantia, in iis

qui non possunt pœnam ita ferre, ut ferendo satisfaciant : secundo, quia in Christo et dignitas et potestas fuit pœnam impositam hoc pacto quasi vincendi. 1 Cor. 15. 54, 57. *Absorpta est mors in victoriam. Deo habetur gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum Iesum Christum.*

5. Quia autem in ista morte consummatio fuit omnis humiliationis, cujus illa etiam fuit pars longè maxima : hinc sæpe in Scripturis, per synecdochen membri, mors ipsa Christi ponitur pro tota satisfactione illa, quæ in humiliatione ejus integra continebatur.

6. Limitationibus istis adhibitis, eadem fuit hæc mors Christi, genere et proportione, cum illa morte, quæ hominum peccatis ex justitia debebatur, eosdem planè gradus, membra, et species repræsentans.

7. Spiritualis mortis Christi inchoatio in genere damni fuit amissio gaudii ac delectationis illius, quam ipsi fructio Dei et gratiæ plenitudo solebat adferre. Amittebat autem hoc spirituale gaudium, non quoad principium et habitum, sed quoad actum et sensum.

8. Spiritualis mortis Christi inchoatio in genere sensus fuit iræ divinæ degustatio, et subjectio quædam ad potestatem tenebrarum. Ira autem illa divina maximè propriè fuit calix ille qui Christo tradebatur bibendus. Matt. 26. 39. *Pater mi, si possibile est, abeat a me poculum istud.*

9. Iræ autem hujus objectum fuit Christus non absolute, sed tantummodo quoad pœnam quæ per iram inferretur, quam ille tanquam sponsor noster subivit.

10. Subjectio illa ad potestatem tenebrarum non fuit ad servitutem, sed ad vexationem, quam in animo suo Christus expertus est.

11. Ex istis affecta fuit anima Christi tristitia, dolore, pavore, et horrore in ἀγωνίᾳ. Matt. 26. 39; Joh. 12. 27; Heb. 5. 7; Luc. 22. 24.

12. Hunc autem in modum affecta fuit anima Christi, non in parte tantum illa, quam nonnulli appellant inferiorem, sed etiam in superiore: non tantum neque præcipuè ex συμπάθειᾳ quam habuit cum corpore, sed propriè et immediatè: neque præcipuè ex compassione quam habuit respectu aliorum, sed ex propria passione, quam nostro nomine sponte subivit: non denique ex corporalis mortis horrore, quem multi etiam ex Christi servis ejus virtute superarunt, sed ex sensu quodam mortis spiritualis ac supernaturalis.

13. Ἀγωνίας hujus effecta duo fuerunt; primo deprecatio vehemens, animum attonitum et naturam ab acerbitate mortis fugientem ostendens, sed sub conditione, et cum subjectione ad voluntatem patris; Matt. 14. 35. *Oravit ut si fieri possit, abiret ab ipso hora illa; Joh. 12. 27. Anima mea turbata est: et quid dicam? Pater, libera me ab hac hora: sed propterea veni in hanc horam.* secundo, sudor aqueus mixtos habens grumos sanguinis in terram stillantes. Luc. 22. 44. *Constitutus in angore, intentius orabat. Erat autem sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram.*

14. In hac spiritualis mortis Christi inchoatione, moderatio quædam et mitigatio fuit; ut locus interim esset officiis illis, quæ ante mortem ejus erant peragenda, precibus nempe, colloquiis, monitis, responsis.

15. Moderatio hæc fuit vel interna vel externa.

16. Interna fuit per intervalla ex remissione pressuræ et vexationis, quam in anima sentiebat. Hinc intellectu

attendebat ad suscepti muneris rationem, ad gloriam inde Patri et sibi exorituram, et ad salutem eorum quos Pater ipsi dederat: voluntate etiam omnes mortis miserias eligebat et amplexabatur, ad fines illos assequendos.

17. Externa hujus mortis mitigatio fuit, per angelum qui ipsum colloquio corroborabat. Luc. 22. 43. *Conspectus est autem ei angelus e celo corroborans eum.*

18. Corporalis Christi mortis inchoatio, nulla fuit interna, præter mortalitatem naturalem, et debilitationem illam, quam externa vis inferebat.

19. Externa fuit multiplex, et in genere damni, et in genere sensus.

20. In genere damni, a populo suo fuit reprobatus, et pessimo sicario posthabitus; a discipulis intimis desertus, abnegatus, et proditus; ab omni hominum genere, præsertim a primariis et iis qui prudentiores habebantur, insanus, impostor, blasphemus, dæmoniacus, magus et alieni regni invasor audivit; vestibis nudatus fuit, et potu necessario destitutus.

21. In genere sensus fuit; primo, apprehensio probrosa; secundo, raptio violenta; tertio, judicia iniquissima, tam ecclesiastica, quam politica; quarto, in irrisione, flagellatione et crucifixione, cum contumeliis, et injuriis omne genus adjunctis. Istius tamen mortis mitigatio quædam fuit; primo, per majestatis divinæ manifestationem, ad miracula quædam edenda; ut in militibus conspectu et voce sua prosternendis, et in auricula Malchi sananda; secundo, per providentiæ divinæ operationem, qua factum est, ut a judice prius justificatus fuerit, quam condemnatus. Matt. 27. 24. *Innoxius ego sum a sanguine hujus justi.*

22. Consummatio mortis Christi fuit in summo gradu pœnæ constitutæ, ubi et mors ipsa est consideranda et ejus continuatio.

23. Spiritualis pœnæ consummatio in genere damni fuit derelictio illa Patris, qua omni sensu consolationis fuit privatus. Matt. 27. 46. *Deus mi, Deus mi, cur deservisti me?*

24. Consummatio Christi mortis in genere sensus fuit maledictio, qua plenum judicii divini in hominum peccata sensum ferebat. Gal. 3. 13. *Pro nobis factus est execratio.* Hujusmodi maledictionis non causa et ratio, sed signum et symbolum fuit suspensio in cruce. *Ibid.*

25. Consummatio mortis corporalis fuit in expiratione animæ, cum maximo corporis cruciatu et dolore.

26. In ista morte, separatio facta est animæ a corpore, sed utriusque tamen unio manebat cum natura divina, ita ut personæ solutio non sit secuta.

27. Mors ista Christi fuit vera, non ficta: fuit naturalis, vel a causis naturaliter efficacibus ad eam inferendam, non supernaturalis: fuit voluntaria, non planè coacta: fuit tamen violenta, non ex principiis internis: fuit etiam aliquo modo supernaturalis et miraculosa, quia vitam et vires quousque voluit Christus conservabat, et quando voluit deponere. Joh. 10. 18.

28. Continuatio hujus mortis fuit, quoad statum extremæ humiliationis, non quoad pœnam afflictionis, de illis enim pœnis intelligitur, quod dixit Christus, *consummatum est.*

29. Continuatio fuit permansio sub dominio mortis per triduum. Act. 2. 24. Status iste propriè notari solet per existentiam apud inferos.

30. Status hujus testimonium et representatio quædam fuit triduana Christi sepultura.

CAP. XXIII.

De Exaltatione Christi.

1. Exaltatio Christi est, qua gloriosè triumphavit de suis et nostris inimicis. Luc. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, et introire in gloriam suam?* Eph. 4. 8. *Quum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem.* Col. 2. 15. *Expoliata imperia ac potestates traducit palam triumphatis illis per eam.*

2. Mortem superavit ferendo, peccatum satisfaciendo, Diabolum spoliando, vel prædam e manibus ejus eripiendo.

3. Hujus victoriæ perfectio et manifestatio est in exaltatione. Quamvis igitur triumphus virtualis et meriti fuit in morte, et in cruce, in qua Christus dicitur exaltari vel extolli, Joh. 3. 14. non situ et loco tantum, sed etiam virtute et merito; actualis tamen triumphus, quoad statum, non fuit in humiliatione, sed in exaltatione.

4. In cruce triumphavit Christus, tanquam in campo victoriæ: in exaltatione verò, quasi in sella regiæ et curru triumphali.

5. Gloria hujus triumphi fuit commutatio humilis formæ servi, et abjectissimæ conditionis istius, quam in illa subierat, in beatitudinem planè cœlestem. Phil. 2. 9. *Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, et donavit ei nomen quod est supra omne nomen.*

6. Quoad naturam divinam, fuit manifestatio tantum activa. Quoad humanam naturam, receptio fuit realis, cum actionibus congruis ex illa manantibus.

7. Humana natura recepit omnes illas perfectiones, quas natura creata capere posset. In anima enim vigeat omnimoda sapientiæ et gratiæ plenitudo, non tantum quoad principium et habitum, sed etiam quoad actum et exercitium: corpus etiam summa puritate, agilitate, splendore et robore fuit ornatum. Heb. 12. 2. *Pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem.* Phil. 3. 21. *Qui figurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso.*

8. Quemadmodum autem anima Christi jam exaltata, animæ naturam adhuc retinebat, ita corpus etiam glorificatum corporis essentiam et essentielles proprietates nequaquam deponebat: neque igitur ubique, neque simul in multis locis, neque in eodem loco cum alio corpore penetrative se potest habere. Quod quidem omnes qui oculos habent ad videndum, clarè perspicere possint in illis Scripturæ phrasibus: *disjunctus ab eis sursum ferebatur in cælum*, Luc. ult. 51; *Non est hic: resurrexit enim*, Matt. 28. 6. et similibus multis.

9. Exaltationis gradus tres fuere, totidem gradibus extremæ humiliationis oppositi; scilicet resurrectio a mortuis, opposita morti; ascensio in cœlos, descensui in sepulchrum et ad inferos; et sessio ad dextram Dei, permansioni in sepulchro et in statu mortis, vel apud inferos.

10. Resurrectio Christi fuit totius humanæ naturæ: quæ antea per mortem ceciderat. Respectu animæ fuit ab inferis, vel a statu et dominio mortis, cui anima, prout

pars erat humanæ naturæ, fuit subjecta. Respectu corporis fuit a mortuis, et sepulchro.

11. Anima improprie dicitur surrexisse : corpus autem et humana natura proprie. Corpus enim et homo perfectionem suam proprie recuperavit : anima autem perfectionis actum et motum in corpore.

12. Resurrectionis duæ sunt partes : prima est actus internus, revivificatio scilicet, per corporis et animæ unionem redintegrata ; secunda est actus externus, exitus nempe e sepulchro ad patefactionem vitæ restitutæ.

13. Resurrectioni huic testimonia præbebant, i°. angeli, ii°. Christus ipse variis apparitionibus (quarum decem saltem in scripturis enumerantur) et probationibus etiam ex Scriptura petitis, iii°. homines, qui videndo, audiendo, et palpando, certiores ea de re fiebant.

14. Resurrexit autem Christus, non virtute aliena, aut precaria, quamvis Deo Patri tribuatur hæc operatio, Act. 2. 24. sed propria. Joh. 2. 19. *Destruite templum hoc, et intra triduum excitabo illud*; et 10. 18. *Auctoritatem habeo animam rursus assumendi.*

15. Resurrectionis tempus fuit tertius dies a morte et sepultura. Matt. 19. 21; Luc. 24. 7; Act. 10. 40; 1 Cor. 15. 4.

16. Finis resurrectionis fuit, i°. ut Filius Dei demonstraretur, Rom. 1. 4. *Declarato Filio Dei potenter per resurrectionem ex mortuis.* ii°. ut victoriam plenam a morte obsignaret, 1 Cor. 15. 57. *Deo habetur gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* iii°. ut officii sui partes, quæ mortem sequebantur impleret, Rom. 4. 25. *Suscitatum ad nostri justificationem.* iv°. ut se et justificatum, et alios justificantem ostenderet,

1 Cor. 15. 17. *Si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris.* v. ut resurrectionis nostræ tam spiritualis, quam corporalis, hypostasis, exemplar, et initiatio fieret, Ib. 20, 21, 23. *Primitiæ eorum qui obdormierunt factus est. In Christo omnes vivificabuntur.*

17. Christus enim ut Deus, est causa absolutè principalis nostræ resurrectionis: ut humiliatione et morte sua satisfaciens, est causa ejus meritoria: sed exemplaris causa est, ut a morte resurgens, et simul etiam tam demonstratiõ quam initiatiõ.

18. Ascensio Christi in cœlum est medius gradus, vel progressus quidam exaltationis, quo relicta terra in cœlum empyreum tanquam in solium gloriæ ascendit. Act. 1. 11. *Sursum receptus est a vobis in cœlum.* Eph. 4. 10. *Ascendit longè supra omnes cœlos.*

19. Ascensio hæc totius fuit personæ. Naturæ tamen divinæ non convenit, nisi figuratè: quatenus nempe causa fuit ascensionis, et cum humana natura conjuncta fuit in sublimitate, gloriam etiam suam in illo manifestam faciens, qua semet antea quasi exinaniverat, cum in illam descenderet per incarnationem: sed humanæ naturæ maximè propriè convenit, quia mutationem inferioris loci in superiorem patiebatur.

20. Tempus ascensionis fuit quadragesimus dies a resurrectione; Act. 1. 3. non citius: quia discipulorum infirmitas hujus interstitii moram postulabat; ut eorum fides variis apparitionibus confirmaretur, atque illi etiam plenius instituerentur in iis, quæ pertinent ad Regnum Dei; Act. 1. 3. non serius, ne terrenam vitam videretur meditari.

21. Locus a quo ascendebat, fuit Mons Oliveti, Act. 1. 12. ubi etiam extremam humiliationem ingressus est, Luc. 22. 39. ut passionem et ascensionem eodem spectare doceret.

22. Locus in quem ascendebat, fuit cœlum beatorum et empyreum, quod non est cœlum ubiquitarium, ut quidam imaginantur, ita ut ascensio ista mutatio esset status tantum, et non loci: sed est supremum supra omnes alios cœlos, Eph. 4. 10. sedes, domus, vel domicilium Dei; Joh. 14. 2. ita ut, quoad localem præsentiam, Christi humana natura rectè et verè dicatur non esse nobiscum in terris, Matt. 26. 11. quamvis ipse, quoad personam, et spiritualem illam efficaciam, quæ pendet ex humana natura, ubique semper sit cum suis ad finem usque mundi. Matt. 28. 20.

23. Testes hujus ascensionis fuerunt et homines multi et angeli. Act. 1.

24. Quoad ordinem, primus omnium fuit qui ascenderunt in cœlum, prioritate naturæ; quia causa fuit ejus ascensio, cujus virtute cæteri ascendunt: Heb. 9. 8. sed prius tempore alii ascenderant animis, Col. 1. 20. et quidam etiam (ut maximè verisimile est) corporibus. Gen. 5. 24; Heb. 11. 5; 2 Reg. 2. 11.

25. Causa hujus ascensionis eadem fuit quæ antea fuit resurrectionis; virtus nempe divina, quæ eadem est et Patris et Filii. Hinc respectu Patris dicitur assumptio, quæ respectu Filii dicitur ascensio. Act. 1. 11. Sed accedebat insuper conditio corporis glorificati; quod æquè sursum fertur, atque deorsum.

26. Fines ascensionis fuerunt; i°. ut humanam naturam jam glorificatam in domicilio gloriæ collocaret; ii°.

ut se illum esse ostenderet, qui cœlestia et altissima consilia Dei penetrare posset; Joh. 3. 13. *Quomodo si dixerò vobis cœlestia credetis? Nullus enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo, nempe filius hominis, qui est in cœlo.* iii°. ut suis omnibus mansiones pararet in domo Patris; Joh. 14. 3. iv°. ut suorum nomine posset capere possessionem cœlestis regni; Eph. 2. 6. *Una suscitavit, unaque collocavit in cœlis, in Christo Iesu;* v°. ut ea, quæ in cœlis ad salutem eorum erant expedienda, et intercessione et potentia sua curaret; Joh. 16. 7. *Si profectus fuero, mittam Advocatum ad vos;* vi°. ut ascensionis nostræ in cœlum certissimum argumentum habeamus, 1 Cor. 15. 20. *Primitiæ eorum qui obdormierunt factus est;* ut nos etiam cogitatione, affectu, et conversatione, quæ cœlestia sunt, prosequamur. Col. 3. 1; Phil. 3. 20. *Superna quaerite, ubi Christus est. Nos ut municipes cœlorum nos gerimus: unde etiam Servatorem expectamus, Dominum Iesum Christum.*

27. Sessio ad dextram Dei, est supremus gradus exaltationis, quo summa gloria suæ mediationis potitur. Hinc resurrectio et ascensio sunt quasi motus ad istam sessionem tendentes: hinc etiam resurrectio et ascensio nobis aliquo modo communis est cum Christo: sessio autem ad dextram Patris non convenit aliis præterquam Christo soli.

28. Summa illa gloria, qua donatus est Christus hac sessione, propriè et formaliter est regia. Act. 2. 36. *Certo sciat ergo tota domus Israelis, quod Deus hunc fecerit Dominum.*

29. Regia hæc gloria est potestatis et majestatis plenitudo, qua omnia gubernat in bonum suorum. Ps. 110;

1 Cor. 15. 25. *Nam oportet eum regnare, usque quo omnes inimicos supposuerit pedibus ejus.*

30. Majestas et potestas ista convenit propriè personæ Christi Mediatoris : cujus respectu verè etiam dicitur, humanam Christi naturam tantam jam habere eminentiam dignitatis et imperii, ut cum potestate præsit ac præficiatur omnibus rebus creatis. Eph. 1. 20. Ex hac autem eminentia dignitatis concludere, humanam Christi naturam (quæ creata fuit, et manet finita) absolute et abstractè consideratam habere cum ipso Deo eandem omnipotentiam et omnipræsentiam, nihil aliud est quam stupida quædam insania, et non multum abest a blasphemia.

31. Ad regiam istam dignitatem pertinet illa potestas, qua Christus factus est Judex omnium hominum et angelorum.

32. Regia ista Christi gloria redundat etiam in cætera ejus munera, ita ut regium exerceat sacerdotium, et prophetiam regiam.

33. Regium hoc sacerdotium est, quo non patiendo, et humiliter supplicando, quasi genibus flexis, sed gloriosè quæ fecit ac tulit repræsentando, nostram causam agit. Heb. 9. 24. *Ingressus est Christus in ipsum cælum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis.*

34. Prophetiam regiam exercet Christus ; dum Spiritum suum effundit supra omnem carnem ; dum legatos mittit, cooperatur ipsis, et eorum sermonem confirmat per signa subsequenta ; dum suos denique e mundo colligit, protegit, ædificat, et in æternum conservat. Matt. 28. 18, 19, 20 ; Marc. 16. 24.

CAP. XXIV.

De Applicatione Christi.

Sic fuit redemptio : applicatio sequitur ejusdem redemptionis.

1. Applicatio hæc est, qua omnia illa, quæ Christus ut Mediator fecit facitque, actu efficacia in certis quibusdam hominibus redduntur.

2. Applicatio hæc per singularem appropriationem tribuitur Spiritui Sancto. 1 Cor. 12. 13. *Per unum spiritum, nos omnes in unum corpus baptizati sumus.* Pendet tamen i°. a decreto et donatione Patris, qua certos quosdam homines Christo dedit redimendos ac salvandos ; Joh. 6. 39. *Hæc est voluntas patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo ; omnes enim et soli illi, quos Pater dedit Christo veniunt ad illum : ibid. 37.* ii°. a Christi intentione, qua satisfactionem suam in bonum eorum destinavit, quos habuit sibi a Patre destinatos : Joh. 17. 9, 11, 12, 19. *Ego pro eis rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* iii°. ab acceptatione Patris, quia satisfactionem illam ad reconciliationem et salutem eorundem habuit acceptam et ratam. 2 Cor. 5. 19. *Nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.*

3. Hæc transactio inter Deum et Christum fuit prævia quædam applicatio redemptionis et liberationis nostræ ad sponsorem nostrum, et ad nos in ipso : quæ ad secundariam istam in nobis peragendam rationem habet efficacis cujusdam exemplaris, ita ut illa sit hujus repræsentatio, et hæc illius virtute producat.

4. Hinc liberatio nostra a peccato et morte non tantum in Dei decreto fuit statuta, sed etiam Christo et nobis in ipso concessa et communicata, antequam a nobis percipiatur. Rom. 5. 10, 11. *Reconciliati fuimus Deo, per mortem Filii ejus. Per quem nunc reconciliationem recepimus.*

5. Hinc et Pater et Filius mittere dicuntur Spiritum ad applicationem istam perficiendam. Joh. 14. 16. et 16. 7. *Pater dabit vobis Advocatum. Mittam eum ad vos.*

6. Hinc omnis donatio bona, et omne bonum integrum supernè descendere dicitur a Patre; Jac. 1. 17; et omnia salutaria communicari nobis dicuntur in Christo, ut in capite, propter Christum, ut merito suo impetran-tem, et per Christum, ut efficaciter applicantem. Eph. 1. 3, 5, 11.

7. Hinc etiam applicatio est finis et effectum impetrationis. Finis autem, cum sit a Deo Patre et Christo intentus, certam habet cum impetratione ut medio suo connexionem. Si enim redemptio Christi ambigui esset eventus, tum Pater Filium destinaret morti, et Filius etiam eandem subiret, incertus adhuc, an quisquam per eum salvus fieret necne; tum etiam totus hujus mysterii fructus ex hominum arbitrio penderet.

8. Hinc applicatio ejusdem planè latitudinis est cum ipsa redemptione, id est, omnibus et solis istis applicatur Christi redemptione, quibus fuit ex Christi et Patris intentione impetrata. Horum tamen intuitu, in alios etiam quædam Christi beneficia temporalia redundant.

9. Atque hoc sensu, respectu scilicet intentionis applicandi, rectè dicitur: Christus pro iis tantum satisfecit, qui per ipsum servantur: quamvis respectu sufficientiæ

illius, quæ est in Christi mediatione, rectè etiam dicitur : Christus pro omnibus aut quibus vissatisfecit : et quia consilia ista Dei sunt nobis occulta, charitati consentaneum est de singulis optimè judicare : quamvis de omnibus collectivè non liceat pronunciare, Christum ex æquo eorum causam apud Deum egisse.

10. Applicationis hujus ratio, qua maxima cum firmitate præstat illud, quod fœdere prius contracto et violato continebatur, dicitur in Scripturis *fœdus novum*, Heb. 8. 8, 10 ; *fœdus vitæ, salutis ac gratiæ* ; Rom. 4. 16 ; Gal. 3. 18. quod eodem sensu *Evangelium* etiam vocatur, Rom. 1. 16 ; *bonum Dei verbum*, Heb. 5. 6 ; *sermo fidelis, et omni acceptatione dignus*, 1 Tim. 1. 15 ; *doctrina bona*, 1 Tim. 4. 7 ; *verbum vitæ*, Phil. 2. 16 ; *verbum reconciliationis*, 2 Cor. 5. 19 ; *evangelium pacis*, Eph. 2. 17. et 6. 15 ; *evangelium salutis, et verbum veritatis*, Eph. 1. 13 ; *brachium Dei*, Esa. 53. 1 ; *odor vitæ ad vitam*, 2 Cor. 2. 16.

11. Fœdus dicitur, quia firma est promissio ; in Scripturis enim quodlibet firmum statutum, quamvis sit de rebus inanimis, dicitur fœdus. Jer. 33. 20, 25. *Fœdus meum de die, et fœdus meum de nocte. Si non fœdus meum interdium et noctu, si statuta cæli et terræ non disponam.*

12. Quia tamen gratuita donatione constat, et morte donantis confirmatur, non tam propriè fœdus quam testamentum vocatur ; Heb. 9. 16. quod cum in priore non invenitur, illud non tam propriè testamentum vocatur quam fœdus.

13. Differt autem fœdus hoc novum a vetere multiplici ratione, i°. Genere : illud enim fuit quasi fœdus amicitiae inter Creatorem et creaturam : hoc verò est reconciliationis inter inimicos.

14. ii°. *Efficiente*: in eo enim duarum partium, Dei nempe et hominis fuit compactum: in isto verò solus Deus paciscitur. Homo enim jam in peccatis mortuus nullam facultatem habuit spirituale fœdus cum Deo contrahendi. Si verò duæ partes pro fœderis ratione sint constituendæ, tum tamen Deus solus est pars assumens et constituens, homo autem est pars assumpta.

15. *Differt iii°. objecto*: illud enim ad omnes homines extenditur: hoc autem ad certos quosdam singulari quadam ratione spectat. Quamvis enim ejus promulgatio humano more promiscuè sæpe proponatur, speciali tamen proprietate ad eos pertinet et dirigitur, quibus a Deo intenditur, qui idcirco appellantur filii et hæredes promissionis hujus, ac salutis. Gen. 15; Act. 1. 39. et 3. 25; Rom. 4. 16, 13. et 9. 7, 8; Gal. 3. 21, 29. Quoad ipsam etiam promulgationem, et confœderationem externam multi sunt extranei. Eph. 2. 12.

16. iv°. *Principio vel causa quasi movente*: ibi enim pro imperio egit Deus ex sapiente et justo suo consilio: hic verò misericordia sola locum habuit. Ibi quidem ratio aliqua gratiæ elucebat in constitutione præmii obedientiæ debitæ: a gratia tamen propriè non dirigebatur, atque adeo non illud, sed istud fœdus perficiebatur, id est, actu hominem ad felicitatem perducebat.

17. v°. *Fundamento*: quod in priore fuit hominis ipsius facultas, in isto verò Christus Jesus.

18. vi°. *Materia vel bonis promissis*: in illo enim vitam solam pollicebatur Deus: in hoc autem justitiam etiam, et omnia media vitæ; quia homini jam mortuo, non vitæ continuatio vel perfectio, sed restitutio ipsa fuit necessaria.

19. vii°. Conditionibus : illud enim perfectam postulabat operum obedientiam, quæ et propriis viribus ab homine fuit præstanda ante omne promissionis effectum, ut meriti rationem ad illud haberet : hoc autem nullam propriè dictam aut antecedentem conditionem requirit, sed subsequentem solam, aut intermediam, eamque per gratiam communicandam, ut medium sit ejusdem gratiæ perficiendæ : quæ est fidei propria natura.

20. viii°. Effectis : illud enim docet ac ostendit quid justum sit, hoc vero ipsam justitiam confert. In eo fuit litera mortua, et peccatori mortifera : in isto verò spiritus vivificans. 2 Cor. 3. 6, 7, 8.

21. Hinc illud nemini hominum salutem unquam attulit, neque peccatori cuiquam potuit adferre, sed mortem solam : hoc verò nemini propriè ac per se mortem adfert aut condemnationem, sed omnibus iis, a quibus verè recipitur, certam fert salutem. *Ibid.* 9.

22. ix°. Adjuncto durationis : illud enim antiquatum est respectu eorum, qui novi hujus participes fiunt : hoc autem est sempiternum, et respectu continuationis quam habet in sese, quia nullum admittit finem aut variationem quoad substantiam, et respectu eorum quibus communicatur, quia gratia hujus fœderis durat perpetuò cum iis, qui semel sunt verè fœderati.

CAP. XXV.

De Prædestinatione.

1. Quoniam hæc applicatio redemptionis in certos quosdam homines fertur, et non in omnes ; ita ut mani-

festam differentiam ostendat inter homines quoad gratiæ dispensationem: hinc primò nobis apparere facit Dei circa homines prædestinationem.

2. Fuit quidem prædestinatio ab æterno; Eph. 1. 4. *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta.* 2 Tim. 1. 9. *Quæ gratia data est nobis ante tempora seculorum;* et operabatur etiam ab initio operum Dei: sed nullam disparitatem internam facit in ipsis prædestinatis, ante applicationis hujus actualem dispensationem. Eph. 2. 3. *Eramusque naturæ filii iræ, ut etiam reliqui.* 1 Cor. 6. 11. *Hæc eratis quidam.* Prædestinatio enim ante applicationem gratiæ nihil ponit in prædestinatis, sed latet in prædestinante solo.

3. Prædestinatio hæc est decretum Dei de specialis gloriæ suæ manifestatione in hominum statu æterno. Rom. 9. 22, 23. *Volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, pertulit multa cum iræ cohibitione, vasa iræ, compacta ad interitum. Et ut notas faceret divitas gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* 1 Thess. 5. 9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam.*

4. Destinatio dicitur, quia est certa determinatio ordinis mediorum ad finem. Quia verò ante omnem existentiam rerum actualem, Deus hunc ordinem apud seipsum statuerat, idcirco non simpliciter destinatio, sed prædestinatio vocatur.

5. Decretum dicitur, quia definitam sententiam continet certo consilio exsequendam. Eodem etiam sensu dicitur propositum et consilium, quia consulta quasi deliberatione finem proponit assequendum.

6. Hinc prædestinatio sapientiam, libertatem, firmita-

tem et immutabilitatem summam habet sibi adjunctam : quia hæc reperiuntur in omnibus Dei decretis.

7. Prædestinationis igitur ratio est immobilis et indissolubilis : 2 Tim. 2. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc : novit Dominus eos qui sunt sui : et prædestinatorum sub illa ratione numerus, non tantum formalis vel numerans (ut loquuntur) id est, quot homines salvi tandem fient, et quot non, sed etiam materialis vel numeratus, id est, quinam sint singulares illi homines, certus est apud Deum non tantum certitudine præscientiæ, sed etiam ordinis mediorum.* Luc. 20. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*

8. Prædestinatio enim nec terminum nec objectum suum necessariò præsupponit ut existens, sed ponit ut existat : ita ut vi prædestinationis ordinetur ut sit. 1 Pet. 1. 20. *Christi præcogniti ante jacta mundi fundamenta.*

9. Hinc etiam a nulla causa, ratione vel conditione externa pendet, sed purè proficiscitur a prædestinantis voluntate. Matt. 11. 26. *Etiã Pater, quia ita libuit tibi,* Rom. 9. 16, 18. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Cujus vult miseretur ; quem autem vult ; indurat.*

10. Hinc neque necessarium est neque Scripturis consentaneum, aut ullam qualitatem prærequisitam statuere in homine quasi formale objectum prædestinationis, aut ullum certum hominis statum sic assignare, ut reliqui excludantur. Sufficit enim intelligere homines inter se pares esse objectum hujus discriminantis decreti : ita ut differentia decreti non pendeat ex homine ; sed differentia illa, quæ in hominibus reperitur, ex decreto illo consequatur.

11. Ad prædestinationis decretum, quoad ordinem intentionis, nulla prærequiritur aut præsupponi debet præscientia, præter simplicem intelligentiam illam quæ est omnium possibilium: quoniam a nulla causa, ratione vel conditione externa pendet, sed purè proficiscitur a prædestinantis voluntate. Eph. 1. 5, 9. *Prædestinavit nos pro benevolò affectu voluntatis suæ. Secundum gratuitam suam benevolentiam, quam præstituerat in sese.*

12. Est propriè actus voluntatis divinæ, quo circa certum objectum versatur, quod ad finem certum per certa media perducere statuit. Eph. 1. 11. *In sortem adsciti sumus, quum essemus prædestinati, secundum præstitutum ejus, qui agit omnia ex consilio voluntatis suæ.*

13. Ratio hujus decreti, prout existit in mente divina, præsupponens actum voluntatis, vocatur præcognitio: unde fit quod præscientia idem aliquando sonet, quod prædestinatio, sed minus proprie. Rom. 11. 2. *Non abjecit populum suum quem præcognovit.*

14. In Deo proprie, quoniam omnia sunt simul et nihil prius aut posterius, unicus est actus voluntatis, atque adeo unicum decretum circa finem et media: sed pro nostro concipiendi modo, Deus ordine intentionis prius vult finem quam media; Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, vocavit, quamvis ordine executionis prius velit media, quam directionem eorum ad finem.* 2 Thess. 2. 13. *Elegit nos ad salutem, per sanctificationem et fidem.*

15. Media quædam sunt et finis et aliorum etiam mediorum causæ: Joh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me venit: et eum qui venit ad me, nequaquam eiecero foras: ipsius tamen prædestinationis actus non sunt causæ, neque omnium ejus effectorum.*

16. Quædam sunt media, quæ sua natura ordinem habent ad prædestinationis finem : cujus generis sunt omnia illa quæ pertinent ad gratiam in Evangelio revelatam. Alia verò extinseca quadam ratione huic ordini subjiciuntur : qualia sunt bona et mala naturalia, quæ supra vel præter suam naturam, ex superveniente gratiæ directione, ad salutem nostram cooperantur.

17. Prædestinationis duæ sunt species, electio et reprobatio.

18. Electio est prædestinatio certorum quorundam hominum, ut in iis manifestetur gratia Dei gloriosa. Eph. 1. 4, 5, 6. *Elegit nos, prædestinavit nos, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.*

19. Electio est actus voluntatis, qui in Deo unicus et simplex fuit : nostro tamen concipiendi modo varios actus synecdochice notat.

20. Primus actus igitur electionis est, velle gratiæ gloriam in hominum quorundam salute. 2 Thess. 2. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem.*

21. Secundus actus est, certos quosdam homines designare, qui participes fient hujus salutis. 2 Tim. 2. 19. *Novit Dominus eos qui sunt sui.*

22. In hoc autem secundo actu propria ratio electionis versatur, qui suo conceptu hæc tria complectitur, i°. dilectionem, Rom. 9. 13. ii°. dilectionem in ordine ad supernaturale et summum bonum, Jer. 31. 3 ; Eph. 5. 28. iii°. dilectionem cum secretionem ab aliis, in qua, modo comparativo aut collativo, virtualis quædam dilectionis intentio continetur. Rom. 9. 13 ; Joh. 17. 6 ; 1 Cor. 1. 27, 28.

23. Tertius electionis actus est propositum vel inten-

tio præparandi ac dirigendi media illa, quibus homines electi ad salutem tanquam ad finem certò perducuntur. Hæc verò media propriè sunt redemptio et redemptionis applicatio. Joh. 6. 37; 2 Thess. 2. 13.

24. Actus iste tertius singulari ratione dicitur prædestinatio: quæ aliquando in scripturis ab electione distinguitur, etiam quatenus solos electos respicit; Rom. 8. 29; Eph. 1. 4, et 5. *Quos præscivit, etiam prædestinavit. Sicut elegit nos. Qui prædestinavit nos*; quamvis alias per synecdochen eodem usurpetur sensu cum electione.

25. Hinc prædestinatio aliquando fieri dicitur *secundum propositum*, Eph. 1. 11. et propositum *secundum electionem*, Rom. 9. 11. et electio *etiam secundum propositum, consilium ac beneplacitum voluntatis Dei*. Eph. 1. 5.

26. Actus hosce voluntatis in electione comitatur particulariter in mente divina certa scientia, qua Deus certissimè novit hæredes vitæ æternæ: unde etiam ipsa electio vocatur scientia vel præscientia. Rom. 8. 29. Hæc autem notitia Dei, quia summa cum firmitate distincta retinet nomina salvandorum et bona ipsis destinata, quasi omnia in libro divino essent conscripta, idcirco dicitur liber vitæ. Ps. 69. 29; Apoc. 3. 5. et 13. 8.

27. Electio hæc unica fuit in Deo respectu totius Christi mystici, i.e. Christi et eorum qui sunt in Christo, sicut creatio una fuit totius generis humani; prout tamen secundum rationem distinctio quædam concipi potest, Christus primò fuit electus ut caput, ac deinde homines quidam ut membra in ipso. Eph. 1. 4.

28. Christus tamen non est causa meritoria vel impulsiva respectu ipsius electionis hominum; quamvis

causæ rationem habeat respectu omnium effectorum electionis, qui ipsius Christi missionem sequuntur.

29. Christus ipse in primo actu electionis, quoad redemptionis opus, rectè dicitur effectum et medium destinatum ad salutem hominum ut finem, quatenus salus hæc est actio Dei. Joh. 17. 6. *Tui erant, et mihi eos dedisti.* Quatenus tamen hæc salus est bonum nostrum, Christus non est ejus effectum, sed causa. Sic rectè dici potest, respectu primi electionis actus, Christum redemptorem fuisse effectum et medium subordinatum, sed in tertio electionis actu considerari ut causam. Eph. 1. 3. *Benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælis, in Christo.*

30. Reprobatio est prædestinatio certorum quorundam hominum, ut in iis justitiæ divinæ gloria manifestetur. Rom. 9. 22; 2 Thess. 2. 9; Jud. 4.

31. Tres actus in reprobatione sunt concipiendi, sicut antea in electione.

32. Primus actus est, velle justitiæ ostensionem. Finis igitur Dei in reprobatione non est propriè perditio creaturæ, sed Dei justitia quæ in merita perditione elucet.

33. Hinc prima imparitas rationis inter electionem et reprobationem. In electione enim finis rationem habet non tantum Dei gratia gloriosa, sed etiam hominum ipsorum salus: in reprobatione verò damnatio in sese non habet rationem finis aut boni.

34. Secundus actus est, certos illos homines designare, in quibus manifesta fiet hæc justitia Dei. Jud. 4.

35. Actus iste non potest vocari electio: quia non est ex dilectione, neque boni alicujus communicationem infert, sed ejus privationem. Propriè idcirco reprobatio vocatur: quia rejicit vel removet illos, circa quos ver-

satur, ab amore illo, quo electi ad salutem designantur. Sicut igitur in electione dilectio habetur cum secretione; sic in reprobatione dilectionis negatio cum secretione vel collatione spectatur.

36. Quia verò hæc secretio negativa, quæ in reprobatione reperitur, pendet ab illa secretione, quæ est in electione; hinc reprobationis finis remotus est splendor illius gratiæ, quæ in electione manifestatur. Rom. 9. 22, 23. *Pertulit vasa iræ, ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ.*

37. Propter hanc secretionem, qua Deus non vult quibusdam beatitudinem communicare, dicitur eos odio habere. Rom. 9. 13. Odium hoc dicitur negativum vel privativum, quia electionem negat: sed includit tamen actum positivum, quo Deus voluit quosdam destitui vita æterna.

38. In eo nihilominus secunda imparitas est rationis inter electionem et reprobationem, quod electionis amor bonum creaturæ communicat immediatè, sed reprobationis odium bonum tantum negat, non infert aut infligit malum, nisi merito creaturæ intercedente.

39. Tertius reprobationis actus est intentio dirigendi media illa, quibus justitia possit in reprobis manifestari. Media hujus generis maximè propria sunt, permissio peccati, derelictio in peccato. Rom. 9. 18; 2 Thess. 2. 11, 12.

40. In istoc actu, tertia est imparitas rationis inter electionem et reprobationem, quod electio est causa non tantum salutis, sed et omnium eorum, quæ causæ rationem habent ad salutem: reprobatio vero, neque damnationis, neque peccati, quod meretur damnationem, est proprie causa, sed antecedens tantum.

41. Hinc etiam sequitur quarta disparitas, quod ipsa

media non habent semper inter se rationem causæ et effectus : permissio enim peccati non est causa derelictionis, obdurationis, punitionis, sed ipsum peccatum.

CAP. XXVI.

De Vocatione.

Hactenus de applicatione : sequuntur ejus partes.

1. Applicationis partes duæ sunt, unio cum Christo, et communio beneficiorum quæ fluunt ex illa unione. Phil. 3. 9. *Ut comperiar in eo habens justitiam quæ est per fidem Christi.*

2. Unio hæc est spiritualis illa relatio hominum ad Christum, qua jus acquirunt ad omnes illas benedictiones, quæ in ipso præparantur. 1 Joh. 5. 12. *Qui habet Filium, habet vitam;* et 3. 24. *In eo habitat, et ipse in eo.*

3. Efficitur hæc unio per vocationem.

4. Vocatio enim est aggregatio hominum ad Christum, ut uniantur cum ipso : 1 Pet. 2. 4, 5. *Ad quem accedentes.* Eph. 4. 12. *Ad compactionem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi :* ex qua unione cum Christo sequitur unio cum Deo Patre. 1 Thess. 1. 1. et 2 Thess. 1. 1. *Ecclesiæ quæ est in Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.*

5. Hoc igitur primum illud est, quod pertinet ad applicationem redemptionis ; Eph. 1. 7, 8, 9. *In quo habemus redemptionem, etc. postquam notam fecit nobis mysterium voluntatis suæ ;* et primum illud, quod constituit hominem actu electum in sese, id est, primus actus electionis, qui in homine ipso exeritur vel exercetur. Unde etiam

est, quod vocatio et electio aliquando in Scripturis eodem plane sensu accipiuntur. 1 Cor. 1. 26, 27, 28. *Cernitis vocationem vestram. Stulta, infirma elegit Deus.*

6. Hinc vocatio hominum nullo modo ex dignitate, probitate, industria, vel conatu aliquo vocandorum pendet, sed ex electione et prædestinatione Dei tantum. Act. 2. 47. *Dominus addebat Ecclesie qui salvi fierent.* Et 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus justis, sed ex sua misericordia.* Jac. 1. 18. *Quia voluit, progenuit nos sermone veritatis.*

7. Vocationis partes duæ sunt: oblatio Christi, et ejusdem receptio. Joh. 1. 11. *Ad sua venit, et sui eum non exceperunt. Quotquot autem eum exceperunt, dedit iis, etc.*

8. Oblatio est objectiva propositio Christi, ut medii sufficientis et necessarii ad salutem. 1 Cor. 1. 23, 24. *Prædicamus Christum, Dei potentiam ac Dei sapientiam.* Heb. 7. 25. *Servare perfectè potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum.* Act. 4. 12. *Nec aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.*

9. De Christo autem in vocatione hominum nihil omnino proponitur, aut proponi debet credendum tanquam verum, quod non est simpliciter et absolutè verum. Hoc enim et pugnat cum testimonii ratione, prout est objectum fidei illius quæ est in intellectu, cujus formalis ratio est veritas, et cum Evangelii ipsius natura, quod *κατ' ἰσχυρίν* dicitur sermo veritatis. Eph. 1. 13.

10. Oblatio Christi est externa vel interna.

11. Externa est Evangelii vel promissionum de Christo propositio aut prædicatio. Act. 9. 15. *Portet nomen meum in conspectum Gentium.*

12. Ut præparentur tamen homines ad promissiones recipiendas, legis applicatio ordinariè præcedit, ad peccati deredtionem, et peccatoris ἀναλογία et humiliationem. Rom. 7. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem.*

13. Promissiones istæ sine discrimine proponuntur omnibus, unà cum credendi mandato : sed omnibus non præstantur, quia ipsi deficiunt in conditione præstanda : sed electis donatur conditio, ut præsententur promissiones. Eph. 2. 8 ; Act. 5. 31. et 11. 18.

14. Interna oblatio est spiritualis quædam illuminatio, qua cordibus hominum proponuntur illæ promissiones quasi per verbum internum. Joh. 6. 45. *Quisquis audivit a Patre et didicit venit ad me.* Eph. 1. 17. *Ut det nobis spiritum sapientiæ et revelationis : illuminatis oculis mentis vestræ, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius.*

15. Hæc etiam aliquando, et modo quodam, conceditur non electis. Heb. 6. 4. et 10. 29 ; Matt. 12. 32.

16. Huic illuminationi si quis ex malitia se opponat, peccatum admittit in Spiritum Sanctum, quod irremissibile dicitur, vel ad mortem. Heb. 6. 6. et 10. 29 ; 1 Joh. 5. 16 ; Matt. 12. 32.

17. Receptio Christi est, qua Christus oblatus homini conjungitur, et homo Christo. Joh. 6. 56. *In me manet, et ego in eo.*

18. Hujus conjunctionis respectu nos dicimur esse in Christo, 2 Cor. 5. 17 ; et induisse Christum, Gal. 3. 17 ; inhabitari a Christo, Eph. 3. 17 ; domus Christi, Heb. 3. 6 ; templum Christi, 2 Cor. 6. 16 ; desponsati Christo, Eph. 5. 23 ; palmites Christi, Joh. 15. 5 ; membra Christi, 1 Cor. 12.

12 ; et Christi ipsius nomen nobis aliquo modo communicatur. 1 Cor. 12. 12. *Ita et Christus.*

19. Receptionis hujus ratione, vocatio dicitur *Conversio*, Act. 26. 20, quia illi omnes, qui vocationi divinæ parent, convertuntur toti a peccato ad gratiam, a mundo ad Deum in Christo sequendum. Dicitur etiam *Regeneratio*, quatenus ista voce initium ipsum novæ vitæ, novæ creationis, aut novæ creaturæ, in Scripturis sæpè designatur : Joh. 1. 13. et 3. 6 ; 1 Joh. 3. 9 ; 1 Pet. 1. 23. et 2. 2. sicut oblationis respectu dicitur propriè vocatio, quatenus Deus efficaciter invitat, et trahit homines ad Christum. Joh. 6. 44.

20. Receptio respectu hominis est vel passiva vel activa. Phil. 3. 11. *Apprehendam : apprehensus fui.*

21. Passiva receptio Christi est, qua spirituale principium gratiæ ingeneratur hominis voluntati. Eph. 2. 5. *Vivificavit.*

22. Hæc enim gratia est fundamentum relationis illius, qua homo cum Christo unitur. Joh. 3. 3. *Nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei.*

23. Voluntas autem est maximè proprium et primum subjectum hujus gratiæ, quia totius hominis conversionis principium efficaciter est conversio voluntatis. Phil. 2. 13. *Deus est qui efficit in vobis et ipsum velle, et ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia.*

24. Illuminatio mentis non sufficit ad illud effectum producendum : quia non tollit corruptionem illam, quæ est in voluntate : neque novum aliquod principium supernaturalis ipsi communicat, cujus vi convertere sese posset.

25. Voluntas tamen respectu hujus primæ receptionis, neque liberè agentis, neque naturaliter patientis ratio-

nem habet, sed obedientialis tantum subjectionis. 2 Cor. 4. 6. *Quoniam Deus, qui dixit ut e tenebris lux splenderet, is est qui splenduit in cordibus nostris.*

26. Receptio activa est elicitus actus fidei, qua vocatus jam totus in Christum recumbit ut suum Servatorem, et per Christum in Deum. Joh. 3. 15, 16. *Quisquis credit in eum.* 1 Pet. 1. 21. *Per eum credentes in Deum.*

27. Actus iste fidei pendet partim ex principio vel habitu gratiæ ingenerato, et partim ex præmovente vel excitante Dei operatione. Joh. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.*

28. Ab homine quidem liberè, sed certò, indeclinabiliter, aut invariabiliter elicitor et exercetur. Joh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.*

29. Cum ista fide, qua voluntas convertitur ad verum bonum habendum, conjungitur semper resipiscentia, qua eadem voluntas convertitur etiam ad verum bonum agendum, cum aversatione et odio contrarii mali vel peccati. Act. 19. 4; Marc. 1. 15. *Resipiscite, et credite Evangelio.*

30. Resipiscentia easdem causas et principia habet cum fide: sunt enim ambo gratuita Dei dona. Eph. 2. 8. *fides est Dei donum.* 2 Tim. 2. 15. *Num aliquando daturus sit eis Deus resipiscentiam.* Idem habent subjectum, quia ambo suas sedes habent in corde aut voluntate hominis; Rom. 10. 9; 1 Reg. 8. 48. *Corde creditur. Revertentur ex toto corde, eodem etiam tempore ingenerantur.* Sed primò, varia habent objecta: fides enim propriè fertur in Christum, et per Christum in Deum, resipiscentia verò in Deum ipsum, qui fuit antea per peccatum offensus. Act. 20. 21. *Conversionem ad Deum, et fidem in*

Dominum nostrum Iesum Christum. Secundò, varios habent fines: fides enim propriè quærit reconciliationem cum Deo: resipiscentia autem accommodationem ad voluntatem Dei. Rom. 3. 25. *Placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Act. 26. 20. *Converterent se ad Deum, opera facientes convenientia resipiscentiæ.*

31. Resipiscentia, quoad sollicitudinem et anxietatem, vel terrorem illum ex Lege oriundum, quem habet secum conjunctum, antecedit fidem ordine naturæ tanquam causa præparans ac disponens: atque adeo reperitur etiam in irrogenitis: sed, quoad efficacem et genuinam aversionem peccati, quatenus per ipsum Deus offenditur, sequitur fidem, et ab illa pendet tanquam effectum a causa sua, et hac in parte propria est fidelium.

32. Quamvis hæc resipiscentia dolorem secum semper adferat de peccatis præteritis et præsentibus, non tam propriè tamen aut essentialiter consistit in dolore, atque in aversione et odio peccati, et infirmo proposito boni proseguendi. Amos 5. 14, 15. *Odio habete malum, et amate bonum.*

33. Resipiscentia illa non est vera ac solida, quæ non avertit hominem ab omni peccato cognito, ad omne bonum cognitum: neque illa, quæ non virtualiter continuatur et actu renovatur, subinde a tempore conversionis ad finem usque vitæ.

34. Resipiscentia prius percipi solet, quam fides: quia peccator non facilè sibimet persuadere potest, quod Deo in Christo sit reconciliatus, antequam sentiat semetipsum deseruisse illa peccata, quæ separaverant ipsum a Deo.

CAP. XXVII.

De Justificatione.

1. Communio benedictionum ex unione cum Christo fluentium, est qua fideles participes fiunt omnium eorum, quibus opus habent ad bene beateque Deo vivendum. Eph. 1. 3. *Benedixit nobis omni benedictione spirituali.* Rom. 1. 32. *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, etc., quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur ?*

2. Hæc igitur communio translationem et mutationem status adfert fidelibus, a statu peccati et mortis, ad statum justitiæ et vitæ æternæ. 1 Joh. 3. 14. *Nos scimus nos translatos esse a morte ad vitam ?*

3. Mutatio hæc status duplex est : relativa, et absoluta vel realis.

4. Relativa mutatio status est illa, quæ in reputatione Dei consistit. Rom. 4. 5. *Ei qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* 2 Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.*

5. Hinc nullos propriè dictos gradus admittit, sed unico actu simul ac semel existit perfecta ; quamvis quoad manifestationem, sensum, et effecta, varios gradus habet. Huc pertinet justificatio, et adoptio.

6. Justificatio est sententia Dei gratiosa, qua propter Christum fide apprehensum absolvit fidelem a peccato et morte, et justum reputat ad vitam. Rom. 3. 22, 24. *Justitia Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes, et super omnes qui credunt, ut qui justificentur gratis, ejus gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo.*

7. Est sententiæ pronuntiatio, ut vocis usus declarat : qui non physicam aliquam aut realem commutationem denotat in sacris Scripturis, sed forensam aut moralem illam, quæ in sententiæ pronuntiatione et reputatione consistit. Prov. 17. 15. *Qui justificat improbum.* Rom. 8. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat.*

8. Toto igitur cælo errat Thomas cum ipsius sectatoribus, qui justificationem volunt esse motum quasi physicum, per transmutationem realem, de statu injustitiæ ad statum justitiæ : ita ut terminus a quo sit peccatum, terminus ad quem sit justitia inhærens, et motus sit partim remissio peccatorum, partim infusio justitiæ.

9. Sententia hæc fuit : i°. in mente Dei quasi concepta, per decretum justificandi. Gal. 3. 8. *Prævidens Scriptura Deum ex fide justificaturum Gentes.* ii°. Fuit in Christo capite nostro a mortuis jam resurgente pronuntiata. 2 Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.* iii°. Virtualiter pronuntiatur ex prima illa relatione, quæ ex fide ingenerata exurgit. Rom. 8. 1. *Nulla igitur est condemnatio eis qui sunt in Christo Iesu.* iv°. Expresse pronuntiatur, per Spiritum Dei testantem spiritibus nostris reconciliationem nostram cum Deo. Rom. 5. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* In hoc testimonio Spiritus non tam propriè ipsa justificatio consistit, quam actualis antea concessæ perceptio, per actum fidei quasi reflexum.

10. Est gratiosa sententia, quia non fertur propriè a justitia Dei, sed a gratia. Rom. 3. 24. *Gratis, ejus gratia.* Eadem enim gratia qua Christum vocavit ad Mediatoris

munus et electos ad unionem cum Christo attraxit, censeat etiam eos jam attractos et credentes, ex illa unione justos.

11. Est propter Christum: 2 Cor. 3. 21. *Ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Christi enim obedientia est illud *δικαίωμα*, cujus nomine nos gratia Dei justificat, non secus ac Adami inobedientia fuit illud *ἥμιμα*, cujus respectu nos justitia Dei condemnavit. Rom. 5. 18.

12. Christi igitur justitia in justificatione fidelibus imputatur, quatenus ejus merito justus coram Deo reputatur. Phil. 3. 9. *Ut comperiar in eo, non habens meam justitiam, quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, justitiam ex Deo per fidem.*

13. Quia verò a Deo hæc justitia in istum finem est constituta, et per ipsius gratiam approbatur et rata habetur; ita ut coram ipso peccatores, per istam justitiam possint consistere; idcirco appellatur *justitia Dei*. Rom. 10. 3.

14. Est autem hæc justificatio propter Christum, non absolutè consideratum, quo sensu Christus etiam est causa ipsius vocationis; sed propter Christum fide apprehensum, quæ fides vocationem sequitur tanquam effectum, et justificationem antecedit tanquam causa instrumentalis apprehendens illam justitiam Christi, ex qua apprehensa justificatio sequitur: unde et justitia dicitur esse ex fide, Rom. 9. 30, 10. 6, et justificatio per fidem. Rom. 3. 28.

15. Fides hæc justificans non est illa generalis, quâ in intellectu assensum præbemus veritati in sacris Scripturis revelatæ: illa enim neque est propria eorum qui justificantur, neque ex sua natura vim ullam habet in sese

justificandi, neque effecta illa producit, quæ fidei justificanti ubique in sacris Scripturis tribuuntur.

16. Neque est propriè loquendo specialis fiducia, qua remissionem peccatorum et ipsam justificationem apprehendimus; fides enim justificans præcedit justificationem ipsam, ut causa suum effectum: sed fides justificationem apprehendens necessario præsupponit ac sequitur justificationem, ut actus objectum suum circa quod versatur.

17. Fides igitur illa propriè dicitur justificans, qua incumbimus in Christum ad remissionem peccatorum et salutem; Christus enim est adæquatum objectum fidei, quatenus fides justificat. Fides etiam non alia ratione justificat, nisi quatenus apprehendit illam justitiam, propter quam justificamur: illa autem justitia non est in veritate alicujus axiomatis, cui assensum præbemus, sed in Christo solo, qui *factus est pro nobis peccatum, ut nos essemus in ipso justitia.* 2 Cor. 5: 21.

18. Hinc toties illæ in N. T. repetitæ conciones, quæ justificationem in persona sola Christi quærendam ostendunt. Joh. 1. 12. et 3. 15, 16. et 6. 40, 47. et 14. 1, 12; Rom. 4. 5. et 3. 26; Act. 10. 43. et 25. 18; Gal. 3. 26.

19. Fides ista justificans sua natura producit, atque adeo conjunctam secum habet specialem ac certam persuasionem de gratia ac misericordia Dei in Christo: unde etiam per istam persuasionem fides justificans non malè sæpè describitur ab Orthodoxis, præsertim cum impugnant generalem illam fidem, cui omnia tribuunt Pontificii. Sed iº ista persuasio quoad sensum ipsius non semper adest. Potest enim fieri, et sæpè fit, vel per imbecillitatem judicii, vel per tentationes et conturba-

tiones animi varias, ut ille, qui verè credit, et per fidem coram Deo est justificatus, ad tempus tamen existimet secundum illud quod sentit, se neque verè credere, neque Deo esse reconciliatum. ii°. Varii sunt gradus hujus persuasionis, ita ut neque omnes fideles eandem planè certitudinem habeant gratiæ ac favoris divini, neque iidem fideles in omni temporis momento: quæ tamen de fide propriè justificante non possunt affirmari, sine consolationis et pacis illius quam Christus fidelibus reliquit, immani detrimento.

20. Justificatio absolvit a peccato et morte, non immediatè tollendo culpam, aut maculam, aut omnia effecta peccati; sed obligationem et reatum ad mortem æternam subeundam. Rom. 8. 1, 33, 34. *Nulla est condemnatio. Quis intentabit crimina? Quis est qui condemnet?*

21. Neque tamen ita tollit reatum, ut meritum pœnæ a peccato auferat, quod peccato ipso manente nullo modo auferri potest, sed ut meriti illius persecutionem vindicantem, aut lethalia ejus effecta plane tollat.

22. Hæc absolutio a peccatis vario respectu, sed eodem sensu dicitur in sacris Scripturis, remissio, redemptio, et reconciliatio, Eph. 1. 6, 7, quatenus enim status peccati consideratur ut servitus aut captivitas quædam spiritualis quoad reatum, eatenus hæc justificatio dicitur redemptio; quatenus verò idem status consideratur ut subjectio ad pœnam debitam, eatenus dicitur remissio, sicut etiam præteritio, deletio, exoneratio, ablatio, abjectio, remotio et projectio post tergum; Rom. 4. 7; Col. 2. 13; Mich. 7. 18; Esa. 43. 12. et 38. 17; Ps. 32. 1, 2. et quatenus idem status consideratur ut inimicitia quædam adversus Deum, eatenus justificatio dicitur reconciliatio, Rom. 5. 10,

sicut et conniventia quædam ad peccatum, Num. 23. 25, tectio peccati. Ps. 32. 1, 2.

23. Remittuntur autem peccata justificatorum, non præterita solum, sed etiam aliquo modo futura : Num. 23. 25. *Non intuetur iniquitatem in Iacobo, nec aspicit perversitatem in Israele*, quia justificatio nullum locum relinquit condemnationi, Joh. 5. 24. *Qui credit, habet vitam æternam, et in condemnationem non veniet*, et vitam æternam certo et immediate adjudicat. Totam etiam illam remissionem, quæ fuit in Christo nobis parata, nostram actu facit, neque possunt præterita et præsentia peccata plane et plene remitti, nisi etiam futura aliquo modo remittantur.

24. Hoc est tamen discriminis, quod peccata præterita per formalem applicationem remittuntur; futura autem virtualiter tantum: præterita in sese, futura in subjecto vel persona peccante.

25. Petitur tamen quotidie remissio peccatorum a justificatis; i°. quia continuatio hujus gratiæ est ipsis necessaria; ii°. ut sensus et manifestatio ejus magis magisque percipiatur, prout singularia peccata postulant; iii°. ut exsecutio illius sententiæ, quæ in ipsa justificatione est pronuntiata, maturari possit et promoveri.

26. Præter peccatorum remissionem, requiritur etiam justitiæ imputatio, ratione saltem ab illa distinctæ: quia totalis absentia peccati ibi potest locum habere, ubi tamen non est justitia illa, quæ justificationis loco est substernenda.

27. Hæc autem justitia non est membratim quærenda in puritate naturæ, nativitatis, et vitæ Christi: sed ex tota Christi obedientia exurgit simul cum remissione

peccatorum, sicut eadem Adami inobedientia et spoliavit nos justitia originali, et obnoxios etiam reddidit reatui condemnationis.

CAP. XXVIII.

De Adoptione.

1. Adoptio est sententia Dei gratiosa, qua fideles acceptat propter Christum ad filiorum dignitatem. Joh. 1. 12. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc jus, iḡovoiav, ut filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus.*

2. Sententia Dei gratiosa dicitur: quia gratiosam Dei voluntatem erga homines manifestat. 1 Joh. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, nempe ut filii Dei vocemur.*

3. Pronunciatur hæc sententia, eadem graduum varietate cum justificatione: fuit enim primo, in Prædestinatione divina; Eph. 1. 5. *Prædestinavit nos quos adoptaret in filios:* postea in Christo; Gal. 4. 45. *Emisit Deum Filium suum, ut adoptionem acciperemus:* postea in ipsis fidelibus. Ibid. 6. *Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.*

4. Versatur propriè circa fideles vocatos et justificados; Joh. 1. 12, per adoptionem enim non constituimur justii, quod necessariò sequeretur, si adoptio pars esset ipsius justificationis, ut quidam volunt: neque est vocatio ad Christum sed dignitas quædam sublimis ex ejus applicatione fluens. Rom. 8. 17. *Cohaeredes Christi.*

5. Vocatio tamen et justificatio fundamenti rationem habet ad istam relationem adoptionis: per fidem enim et fidei justitiam jus adoptionis acquiritur. Joh. 1. 12.

6. Adoptio autem quamvis sequatur ex fide ; non ita tamen immediatè sequitur, quin intercedat justificatio : adoptio enim ex sua natura prærequirit et præsupponit reconciliationem illam quæ in justificatione reperitur.

7. Hinc omnes fideles duplici quasi titulo vitam æternam exspectant, titulo nempe redemptionis, quem habent ex justificatione ; et titulo quasi filiationis, quem habent ex adoptione.

8. Quod ita tamen debet intelligi, ut redemptionis titulus sit fundamentum hujus juris ; et adoptio modum quandam excellentiæ et dignitatis eidem adjiciat.

9. Hinc prima oritur differentia, inter adoptionem divinam et humanam : humana enim adoptio est personæ extraneæ, quæ nullum jus habet ad hæreditatem præterquam adoptionis virtutem : fideles autem, quamvis ex naturali generatione nullum jus habeant ad hæreditatem vitæ, regenerationis tamen, fidei, et justificationis virtute habent illam sibi adjudicatam.

10. Hinc etiam secunda differentia sequitur, quod adoptio humana sit extrinseca tantum denominatio, et communicatio eorum, quæ sunt externa : sed adoptio divina tam realis est relatio, ut etiam in intrinseca fundetur actione, et in communicatione novæ vitæ æternæ.

11. Adoptio hæc fit propter Christum : quia Christus non tantum promeruit eam ut redemptor, Gal. 4. 5. *Ut eos redimeret, ut adoptionem acciperemus* : sed etiam ut fide jam applicatus est vinculum hujus unionis. Rom. 8. 17, 29. *Hæredes Dei, cohæredes Christi. Conformandos imaginì Filii.*

12. Sicut enim Christus in justificatione applicatur

tanquam vestis ad obtegenda peccata nostra : sic in adoptione applicatur tanquam frater, et Princeps salutis nostræ. Heb. 2. 10, 11, 13. *Multi filii. Princeps salutis. Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Non erubescit eos vocare fratres. Ecce ego, et pueri quos mihi dedit Deus.*

13. Applicatio et conjunctio ista tam arcta est, ut quamvis Christus propriè sit unicus Filius Dei naturalis, et multo magis primogenitus Dei : per istam tamen gratiam adoptionis et communionis cum Christo, fideles etiam omnes dicantur primogeniti Dei. Heb. 12. 23. *Accessistis ad conventum universalem, et concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cælis.*

14. Unde etiam apparet, fideles longa alia ratione filios esse Dei, quam Adamus fuit in prima creatione : quamvis enim Adamus propter dependentiam illam quam habuit a Deo, unà cum similitudine et imagine illa ad quam fuit creatus, metaphoricè dici potuit filius Dei : non fuit tamen filius Dei per mysticam hanc conjunctionem et communionem cum Christo, qui est Filius Dei naturalis.

15. Hinc oritur tertia differentia, inter adoptionem humanam et divinam : adoptio enim humana introducta fuit ex defectu vel indigentia filii naturalis : divina autem adoptio non est ex indigentia ulla : sed ex abundanti bonitate, qua similitudo Filii naturalis et mystica cum ipso conjunctio filii adoptivis communicatur.

16. Dignitas illa quam hæc adoptio adfert secum, non tantum longe superat relationem illam communem, qua Deus omnis creaturæ dicitur pater : sed et illam etiam quam habuimus ante lapsum : quoniam illa fuit infirma,

hæc autem ratione vinculi manet in æternum. Joh. 8. 35. *Servus non manet in domo perpetuè : filius manet perpetuo.*

17. Hinc nomen Dei et Christi super fideles, singulari quodam jure ac ratione vocatur, 1 Joh. 3. 1, sicut Jacob cooptans filios Josephi per adoptionem voluit ipsos suo nomine appellari. Gen. 48. 5.

18. Hinc etiam fideles assumuntur, quasi in familiam Dei, ut sint ejus domestici, Gal. 6. 10, id est, ut sint semper sub paterna Dei tutela, ab ipso pendentes pro enutritione, educatione, et conservatione perpetua : sicut olim apud Hebræos adoptio non alia ratione fuit sæpe testificata, quam ex consanguineorum proximorum enutritione, et educatione. Hest. 2. 7.

19. Cum filiorum dignitate conjungitur etiam hæredum conditio, Rom. 8. 17. *Quod si filii, etiam hæredes* : hæc autem hæreditas, ad quam fideles adoptantur, est beatitudo æterna : unde adoptio comprehendit nonnunquam in Scripturis totam illam gloriam, quæ præparatur fidelibus et ab iis in cœlis expectatur. Rom. 8. 23. *Adoptionem expectantes, redemptionem corporum nostrorum.*

20. Beatitudo igitur æterna ad fideles pertinet et ipsis communicatur, non a justitia propter ipsorum merita, sed a gratia illa qua in filiorum numerum adsciscuntur. Gal. 3. 29. *Quod si vos estis Christi, nempe Abrahami semen estis, et secundum promissionem hæredes.*

21. Hinc ortum suum habet quarta quædam differentia inter adoptionem humanam, et divinam : adoptio enim humana eo ordinatur, ut in hæreditate filius patri succedat : adoptio verò divina non ordinatur ad successionem, sed ad participationem hæreditatis assignatæ :

quia et Pater et Filius ejus primogenitus vivit in æternum, atque adeo non admittit successionem.

22. Hujus adoptionis adjunctum proprium est Spiritus testificatio, quæ fidelibus datur, qua dignitas hæc obsignatur una cum hæreditate quæ ex illa est exspectanda, et dicitur Spiritus adoptionis. Rom. 8. 15, 16, 23; Gal. 4. 5, 6, 7.

23. Spiritus autem communicari dicitur fidelibus, non quia fides antecedit omnem Spiritus operationem, ut quidam imperiti colligunt; nam ipsamet prima regeneratio et conversio apertè tribuitur Spiritui Sancto a Christo; Joh. 3. 5, 6, 8. *Genitus ex Spiritu*; sed quia soli credentes, postquam jam crediderunt, operationem illam accipiunt Spiritus Sancti, qua obsignantur, tanquam arrha hæreditatis futuræ. Eph. 1. 13, 14. et 4. 30; Gal. 3. 14.

24. Atque hinc etiam satis apparet, quod certitudo salutis, non sit propriè fides justificans, sed fructus illius fidei: quoniam Apostolus expressè dicit: *postquam credidistis, obsignati estis*. Eph. 1. 13.

25. Fructus adoptionis primus est libertas illa Christiana, qua fideles omnes quasi manumissione liberantur a legis, peccati, et mundi servitute. Joh. 8. 32, 36. *Si vos Filius in libertatem vindicaverit, verè liberi eritis*. Rom. 8. 22. *Liberati a peccato, servi facti Deo*. Gal. 4. 26. *Quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ mater est omnium nostrum*. Heb. 2. 15. *Ut liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis*.

26. Secundus fructus est, quod fideles dignitatem Christi participantes, sunt etiam per ipsum quasi prophetæ, sacerdotes et reges. Apoc. 1. 6.

27. Tertius fructus est, quod omnes creaturæ et quæ

per illas fiunt, vel subjiuntur fidelium dominio et usui puro, Tit. 1. 15; 1 Cor. 3. 21, 22, vel ministerii munere funguntur pro ipsis, sicut de angelis affirmatur, Heb. 1. 14, vel cedunt saltem in eorum bonum. Rom. 8. 28.

CAP. XXIX.

De Sanctificatione.

Sic fuit relativa commutatio status fidelium, in Justificatione et Adoptione: sequitur realis, qua prior illa manifestatur, et quoad effecta quasi executioni mandatur.

1. Realis commutatio status est alteratio qualitatum in ipso homine facta. 2 Cor. 5. 17. *Vetera præterierunt, nova facta sunt omnia.*

2. Quia verò non in relatione et ratione consistit, sed in effectione reali, idcirco gradus varios admittit inchoationis, progressus, et perfectionis. 2 Cor. 6. 14. *Internus homo renovatur indies.*

3. Alteratio ista qualitatum vel respicit bonum justum ac honestum, et dicitur Sanctificatio; vel bonum commodum ac honorificum, et dicitur Glorificatio. Rom. 6. 22. *Habetis fructum vestrum in sanctimonia: finem autem vitam æternam.*

4. Sanctificatio est realis commutatio hominis, a turpitudine peccati in puritatem imaginis Dei. Eph. 4. 22, 23, 24. *Deponere quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum hominem, qui de seductricibus cupiditatibus sese corrumpit, renovari verò spiritu mentis vestre: et induere*

novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justitiam et sanctimoniam veram.

5. Sicut enim per justificationem liberatur fidelis propriè a reatu peccati, et vitam habet sibi adjudicatam, cujus vitæ titulus quasi determinatur in adoptione; sic sanctificatione liberatur idem fidelis a turpitudine et macula peccati, et restituitur ipsi puritas imaginis Dei.

6. Hic namque per sanctificationem non intelligitur ipsa separatio ab usu communi, et consecratio ad usum aliquem singularem, quo sensu vox ista sæpe accipitur in Scripturis, aliquando externam solam, aliquando internam etiam et efficacem separationem designans; sic enim extendi potest ad vocationem, aut regenerationem illam primam, qua fides ut principium vitæ novæ communicatur, quo sensu a plerisque regeneratio et sanctificatio solent confundi: sed intelligitur illa hominis mutatio, qua fidelis habet sibi communicatam justitiam aut sanctimoniam inhærentem. 2 Thess. 2. 13. *Per sanctificationem Spiritus.*

7. Sanctitatem enim esse gratiæ donum inhærens manifestè testatur Deus ipse. Jer. 31. 33. *Indam legem meam menti eorum, et cordi eorum inscribam.* Ezec. 36. 26, 27. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.*

8. Distinguitur autem hæc sanctificatio ab illa commutatione hominis, quæ est propria vocationi hominis in fide et resipiscentia, eo quod fides ibi non propriè consideratur ut qualitas, sed in relatione ad Christum: neque resipiscentia ibi spectatur ut mutatio dispositionis, sic enim idem sonat cum sanctificatione, sed ut mutatio

propositi et intentionis animi. Hic verò realis mutatio qualitatum et dispositionum spectatur.

9. Realis dicitur commutatio, ut distinguatur non tantum a justificatione, sed etiam a sanctificatione illa quæ fit per institutionem, qualis est sanctificatio diei septimi; vel etiam per relationem signi, qualis est sanctificatio elementorum in sacramentis; vel denique per manifestationem, quomodo Deus ipse dicitur ab hominibus sanctificari. 1 Pet. 3. 15.

10. Est hominis totius, non unius alicujus partis; *Thess. 5. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos: et integer vester spiritus, et anima et corpus inculpate in adventum Domini nostri Iesu Christi conserventur: quamvis totum hominis, aut totum illud quod est in homine, non statim commutetur.*

11. Quamvis autem totus homo sit particeps hujus gratiæ, primò tamen et præcipuè convenit animæ, et postea ab animâ derivatur ad corpus, quatenus corpus ipsius est capax per potentiam illam obedientialem, quâ unâ cum animâ subjicitur voluntati Dei. Sic etiam in animâ, primò et propriè convenit voluntati, ex quâ in cæteras facultates secundum ordinem naturæ derivatur. *Deut. 30. 6. Circumcidet Iehova Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui ad diligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, ut vivas, Rom 2. 29. Circumcisio cordis.*

12. Est commutatio hominis a peccato, ut distinguatur ab illa sanctificatione, quæ est a contrario mere negativo, qualis illa fuit quæ attribuitur humanæ naturæ Christi, quæ dicitur sanctificata aut sancta facta, quamvis peccato nunquam fuit inquinata dum fuit Christi natura.

13. Terminus a quo est turpitude, corruptio, vel labes

peccati. 2 Cor. 7. 1. *Purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ad finem perducentes sanctimoniam in timore Dei.*

14. Terminus ad quem est puritas imaginis Dei, quæ condi vel recreari dicitur in scientia, justitia, et sanctitate; Eph. 4. 24; vel conformitas ad legem Dei, Jac. 1. 25; *novitas vitæ*, Rom. 6. 4; *nova creatura*, 2 Cor. 5. 16; Col. 6. 15; *et natura divina*. 2 Pet. 1. 4.

15. Dicitur autem nova et divina creatura; iº quia non producitur ex principiis illis, quæ in sunt nobis a naturâ, sicut omnium artium habitus producuntur, qui industriâ et disciplinâ comparantur; sed ex novo principio vitæ a Deo nobis in vocatione communicato; iiº quia est alius planè generis, quàm fuit antea dispositio nostra naturalis; iiiº quia refert pro suo modulo summam illam perfectionem, quæ reperitur in Deo.

16. Sanctificationis hujus duo sunt gradus; unus in istac vita, qui dicitur in genere infantia, 1 Cor. 13. 12, 11; Eph. 4. 14; 2 Pet. 2. 2; quia licet varietas illa reperiatur in istac vita, ut si quidem sanctificationum cum aliis comparentur, et cum semetipsis variis temporibus, tum quidam rectè dicantur infantes, et alii adulti, dum istic vivunt, Heb. 5. 13, 14; tamen summus ille gradus, quem in istac vita assequimur, est inchoatio tantum sanctitatis promissæ et expectandæ. Alter gradus dicitur ætas virilis et perfecta, Eph. 4. 14; 1 Cor. 13. 11; Phil. 3. 12, quia in vita futura cessat motus aut progressus sanctificationis, ac quies et perfectio sola reperitur: ita ut in istac vita magis propriè sanctificationem habere dicamur, quam sanctitatem, et in vita futura sanctitatem solummodo, et non sanctificationem.

17. Sanctificatio igitur duas habet partes: unam respectu termini a quo quæ dicitur mortificatio; et alteram respectu termini ad quem, quæ dicitur vivificatio et resurrectio. Rom. 8. 5, 6.

18. Mortificatio est prima pars sanctificationis, qua peccatum absumitur. Col. 3. 3, 5. *Mortui estis, mortificate igitur membra vestra terrestria.*

19. Causa ejus meritoria et exemplaris est Christi mors. Rom 6. 5, 6. *Cum eo plantati coaluimus assimulatione mortis ejus, illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse.*

20. Causa principaliter operans est Spiritus ille Dei, qui mortis efficaciam fidelibus communicat. Rom. 8. 13. *Si Spiritu actiones corporis mortificetis vivetis.*

21. Administrans causa est ipsa fides. Rom. 8. 17. *Ex corde auscultastis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi.*

22. Ex hac mortificatione sequitur in omnibus sanctificatis abnegatio suimet ipsorum et mundi. Luc. 9. 23; Gal. 6. 14.

23. Hinc ortum habet differentia illa interna, quæ est inter peccatum quod manet in fidelibus, ab eo quod manet in aliis: in aliis peccatum est regnans, prævalens, et prædominans; in fidelibus est fractum, subactum, et mortificatum.

24. Vivificatio est secunda pars sanctificationis, qua imago aut vita Dei in homine restituitur. Col. 3. 10; Eph. 4. 24; Rom. 12. 2. *Induti novo illo homine. Transformate vos per renovationem mentis vestræ.*

25. Causa ejus exemplaris est resurrectio Christi. Col. 3. 1, 2. *Resurrexistis cum Christo.*

26. Causa principaliter operans est Spiritus Dei, qui Christum a mortuis suscitavit. Rom. 8. 11. *Si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis.*

27. Administrans causa est fides. Gal. 2. 20. *Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei.*

28. Ex hac vivificatione oritur in sanctificatis obligatio firma suimet ipsorum, qua Deo et Christo se totos addicunt, 2 Cor. 8. 5. *Semet ipsos dediderunt Domino.*

29. Quoniam hæc sanctificatio est imperfecta dum hic vivimus quasi infantes; idcirco duplici quasi forma fideles omnes informantur, peccato et gratia: perfectio enim sanctificationis in istac vita non reperitur nisi in somniis quorundam fanaticorum. 1 Joh. 1. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, et veritas in nobis non est.* Ad perfectionem tamen contendunt omnes verè sanctificati. Matt. 5. 48; 1 Cor. 13. 11; 2 Pet. 3. 18.

30. Peccatum, quod in sanctificatis remanet, vel pars corrupta, dicitur in Scripturis vetus homo, homo externus, membra et corpus peccati. Gratia, vel pars renovata, dicitur novus homo, spiritus, mens, etc.

31. Hinc duo consequuntur, i°. bellum spirituale quod inter has partes perpetuo geritur, Gal. 5. 17. *Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt.* ii°. respicientiæ quotidiana renovatio.

32. Caro illa quæ remanet in renatis, non est tantum in appetitu vegetativo et sensitivo, sed etiam in voluntate, et ipsa ratione. 1 Thess. 5. 23.

33. Caro vel concupiscentia ista veram ac propriam rationem peccati habet in ipsis renatis. Rom. 7.

34. Inficiuntur ista carne etiam optima opera sanctorum, ita ut opus habeant aliqua remissione.

35. Bona tamen reatorum opera non sunt peccata dicenda, sed peccato inquinata.

36. Inquinatio ista bonorum operum propter justificationem non efficit quin ad præmium a Deo acceptentur.

37. Pugna illa, quæ in improbis reperitur inter conscientiam et voluntatem, non est lucta spiritus adversus carnem, sed carnis metuentis adversus carnem concupiscentem.

CAP. XXX.

De Glorificatione.

In superiore disputatione fuit sanctificatio, alterationis qualitatum pars una, quæ respiciebat bonum justum ac honestum : sequitur altera glorificatio, quæ respicit bonum commodum ac honorificum.

1. Glorificatio est realis hominis transmutatio a miseria vel pœna peccati in felicitatem æternam. Rom. 8. 30. *Quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

2. Realis dicitur transmutatio, ut distinguatur ab illa beatitudine, quæ vel virtualis tantum est in electione, vocatione, justificatione, et adoptione, vel declarativa in sanctis operibus. Rom. 4. 6. *David declarat beatum illum hominem cui Deus imputat justitiam, etc.* Ps. 65. 5. *Beatus quem eligis, et admoves inhabitaturum atria tua.* Matt. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, etc.*

3. Respectu termini a quo, qui est miseria vel pœna

peccati, dicitur redemptio. 1 Cor. 1. 30; Eph. 1. 14; Gal. 3. 13; Heb. 2. 14, 15.

4. Redemptio hæc est realis liberatio, a malis pœnæ : quæ nihil aliud est reipsa quam executio sententiæ justificationis. Nam in justificatione ut judicamur justî, sic adjudicamur vitæ. Jam vero glorificatio vitam illam adjudicatam et pronunciatam reali communicatione facit actu et possessione nostram.

5. Realis dicitur ut ab illa redemptione distinguatur, quæ est in pretii redemptionis solutione, et in ejusdem applicatione ad justificandum, cujus mentio fit, Eph. 1. 7; Col. 1. 14.

6. In Scripturis appellari etiam solet liberatio, et conservatio ab ira Dei, a morte, et a regno tenebrarum.

7. Respectu termini ad quem dicitur beatificatio, benedictio, vita æterna, gloria, glorificatio, regnum Domini nostri ac servatoris Iesu Christi, et hæreditas immortalis. Eph. 1. 3; Joh. 3. 36. et 6. 47; 2 Pet. 1. 3, 11; 1 Pet. 1. 4. et 5. 10.

8. Inchoatæ hujus glorificationis primus gradus est apprehensio et sensus amoris Dei ex unione et communione, quam habent fideles cum ipso in Christo elucetis. Rom. 5. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

9. Hinc oritur quasi amicitia quædam inter Deum, Christum, et fideles. Joh. 15. 15. *Vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Jac. 2. 23. *Abrahamus vocatus est amicus Dei.*

10. Secundus gradus est indubitata spes et exspectatio fruitionis omnium illorum bonorum, quæ Deus præparavit suis. Rom. 5. 2. *Gloriamur sub spe gloriæ Dei.*

11. Hinc libertas adeundi Dei cum fiducia. Eph. 2. 18. et 3. 12; Heb. 10. 22.

12. Huc pertinet et perseverantiæ et salutis etiam certitudo. Rom. 8. 38.

13. Hæc enim certitudo quoad rem ipsam, quæ dicitur certitudo objecti, est omnibus verè fidelibus obsignata: sed quoad ejus perceptionem, quæ dicitur certitudo subjecti, non est omnibus semper præsens: potest tamen a quibusvis absque speciali revelatione comparari, et debet etiam ab omnibus quæri: ita ut certa ista fiducia, rectè fundata, nihil habeat commune cum præsumptione.

14. Certitudo ista fundatur et confirmatur fidelibus verbo, sigillis, juramento, et arrha Dei ipsius. Heb. 6. 17. *Deus volens ex abundantia hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando: ut per duas res immutabiles validam consolationem habeamus.* Eph. 1. 13. *Obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto: qui est arrhabo hæreditatis nostræ.*

15. Percipitur ista veritas, et certa nobis redditur, iº. sensu quodam spirituali, quo gratia Dei jam præsens præsentiam suam manifestam et evidentem reddit fideli, iiº. ex discretionis dono, quo distinguunt fideles veram gratiam ab ejus specie adumbrata, iiiº. conscientia discursu ac testimonio, quo non minus fidelibus obsignatur gratia ac salus, atque infidelibus peccatum et mors, ivº. Spiritus ipse Dei has omnes percipiendi rationes fidelibus ita confirmat, ut eandem certitudinem habeant cum ipsa fide. Rom. 8. 16. *Spiritus ipse testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.* 1 Cor. 2. 12. *Accepimus Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus.* 2 Cor. 13. 5. *Vos ipsos tentate an sitis in fide, vos*

ipsum explore. 1 Joh. 4. 16. *Nos cognovimus et credimus charitatem quam habet Deus erga nos.*

16. Certitudo ista sequitur ex perceptione fidei ac resipiscentiæ, ubi fœdus Dei gratuitum rectè intelligitur. 2 Cor. 13. 5.

17. Alterutrum horum si absit, certitudo ista quoad perceptionem tollitur, ita ut qui rectè intelligit fœderis promissionem, non possit esse certus de sua salute, nisi etiam percipiat in semetipso veram fidem et resipiscentiam: neque potest ille, qui sentit semetipsum verè credere et resipiscere, certus esse de perseverantia et salute, nisi etiam intelligat ex fœdere, Deum credentes et resipiscentes ad finem usque potenter conservaturum.

18. Certitudo igitur salutis non ab aliis neque alias percipitur, nisi ab iis qui unà cum fide retinent bonam conscientiam; idque dum eam retinent sine graviore aliquo vulnere, quod a peccatis iis infertur, quæ vastare solent conscientiam.

19. Hinc prout fides et conscientia bona vigent aut languent in hominibus, sic etiam ista certitudo vel confirmatur, vel imminuitur. Ps. 51.

20. Qui igitur sine ullo fidei et resipiscentiæ sensu aut cura certo sperant salutem, præsumendo sperant, et sperando pereunt.

21. Ex ista certitudine oritur consolatio, pax et gaudium inenarrabile, Rom. 5. 2, 3; 1 Pet. 1. 8; Rom. 14. 17; 2 Cor. 1. 5, quæ sunt primitiæ gloriæ. Rom. 8. 23.

22. Consolatio est metus ac doloris opprimentis relevatio; 2 Cor. 1. 4, complectitur tamen aliquando per synecdochen inchoatam salutem totam. Col. 2. 2.

23. Pax est tranquillitas animi, quæ oritur, partim ex

liberatione a malis, et partim ex præsentia aut spe contrariorum bonorum. Phil. 4. 7.

24. Cum in salutationibus apostolicis conjungitur cum gratia, tum omnem felicitatem illam denotat, quæ ex favore Dei fidelibus communicatur.

25. Gaudium est illa delectatio, quæ percipitur ex illa conjunctione et communione summi boni. Luc. 10. 20.

26. Hinc vita ipsa æterna dicitur gaudium. Matt. 25. 21; Joh. 15. 11.

27. Tertius gradus est in participatione spiritualium gratiæ donorum cum abundantia aut exundatione. Col. 2. 2, 7, 10. *Omni opulentiã plenè certioratã intelligentiã. Exundantes fide. Completi.*

28. Hinc abundantia gratiæ dicitur amplum introitum in regnum Dei subministrare. 2 Pet. 1. 8, 11.

29. Quartus gradus est in experientia benevolentiæ aut benignitatis Dei. Ps. 31. 20. *Quam multa est bonitas tua, quam recondis reverentibus te?* Ps. 65. 5. *Saturamur bono domus tuæ, rebus sanctis templi tui.*

30. Huc pertinet paterna illa Dei providentia, quæ fidelibus invigilat semper in bonum, sicut impiis invigilat in malum; cujus ratione dicitur in Scripturis, manus Dei optima adesse suis. Neh. 2. 8.

31. Hinc omnia cooperantur in bonum iis, qui diligunt Deum. Rom. 8. 28.

32. Ex istorum omnium sensu radicanantur et fundantur fideles in charitate Dei. Eph. 3. 17.

33. Perfecta glorificatio est in ablatione omnis imperfectionis ab anima et corpore, et perfectionis omnis communicatione.

34. Conceditur hæc animæ immediatè post separationem ejus a corpore; 2 Cor. 5. 1; Phil. 1. 23; Heb. 12. 23, sed animæ et corpori conjunctim non conceditur ex ordine ante diem illum ultimum, quo simul omnes fideles erunt in Christo consummati. Eph. 4. 13; Phil. 3. 20, 21.

CAP. XXXI.

De Ecclesia mysticè considerata.

Hactenus de redemptionis applicatione in se considerata: sequitur subjectum cui, et modus quo sit hæc applicatio.

1. Subjectum est Ecclesia. Eph. 5. 25, 26, 27. *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum exposuit pro ea: ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum: ut susteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta et inculpata.* Unde electio, redemptio, vocatio, justificatio, adoptio, sanctificatio et glorificatio, ad idem subjectum, id est, ad eosdem singulares homines qui constituunt Ecclesiam, in proprietate sua spectant. Joh. 17. 9, 10, et 11. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Rom. 8. 29, 30. *Nam quos præcivit, etiam prædestinavit, etc.*

2. Ecclesia tamen ita rationem habet subjecti respectu hujus applicationis, ut sit etiam ejusdem applicationis effectum: non enim primo est actu Ecclesia, et postea unionis et communionis cum Christo fit particeps: sed quia Christo unitur, idcirco est Ecclesia Christi.

3. Atque hæc est ratio, cur Ecclesiæ naturam neque explicare, neque intelligere potuimus, nisi prius explicatis et perceptis iis, quæ pertinent ad applicationem Christi.

4. Electi antequam inserantur Christo, in sese non aliter sunt de Ecclesia, quam potentia illa quæ suo tempore certo ventura est in actum, propter intentionem Dei et transactionem ejus cum Christo : qua potentia illa remota, quæ est omnium hominum communis, respectu electorum est in Deo certò determinata.

5. Illi igitur inter orthodoxos, qui Ecclesiam definiunt cœtum electorum, vel per electos intelligunt secundum electionem vocatos, vel non Ecclesiam tantum definiunt, qua actu existit, sed etiam qua est futura.

6. Primum illud quod actu Ecclesiam constituit, est vocatio : unde etiam et nomen suum accipit et definitionem.

7. Ecclesia enim est cœtus hominum vocatorum. 1 Cor. 1. 24. cum 10. 32. *Judæis, Græcis, vocatis. Judæis, Græcis et Ecclesiæ Dei.* Quia vero vocationis terminus est fides, et fidei opus est insitio in Christum, et unio hæc cum Christo communionem secum infert ; hinc eodem planè sensu definitur : cœtus fidelium : cœtus eorum qui sunt in Christo : et cœtus eorum qui communionem habent cum Christo.

8. Sicut autem fides ita respicit Christum ut per Christum etiam respiciat Deum ; sic Ecclesia ista, quæ per fidem existit, et ad Christum tanquam ad caput, et per Christum ad Deum refertur : unde dicitur *Ecclesia corpus Christi*, Col. 1. 24 ; *et Ecclesia etiam Dei*, 1 Cor. 10. 23 ; *regnum Christi*, Col. 1. 13 ; *et regnum Dei*. Rom. 14. 17.

9. Cœtus dicitur, quia in multitudine consociata, vel

communitate multorum proprie consistit, non in uno aliquo vocato: unde Eph. 4. 16, dicitur *corpus coagmentatum, et compactum ex variis membris*: et eadem ratione sæpius in scripturis vocatur, domus, familia, civitas, regnum, grex, etc.

10. Ad homines restringitur iste cœtus: quoniam angeli boni, quamvis aliqua ratione ad Ecclesiam pertineant, propter unionem illam quam habent cum Christo, et conservationis gratiam ab illo communicatam, non sunt tamen homogenea membra Ecclesiæ redemptæ.

11. Forma vel causa constituens Ecclesiæ hujus, tale quid est necessario, quod æque in omnibus vocatis reperitur: hoc autem nihil aliud esse potest quam relatio: neque ulla relatio vim istam habet præter illam, quæ consistit in prima et intimâ affectione ad Christum: talis vero in homine nulla datur præter fidem: fides igitur est forma Ecclesiæ.

12. Fides enim ut in singulis fidelibus existens distributivè est forma vocatorum: sed in omnibus collectivè spectata est cœtus vocatorum, id est Ecclesiæ, forma.

13. Iidem enim homines fideles, qui prout sigillatim distributivè considerantur, sunt vocati Dei, sunt etiam Ecclesia Dei, prout conjunctim vel collective considerantur in cœtu.

14. Hinc omnes illæ promissiones Dei quæ factæ sunt Ecclesiæ in Scripturis, et continent in sese benedictiones essentielles, pertinent etiam ad singulos fideles.

15. Relatio hæc est adeo intima, ut ejus ratione non tantum Christus Ecclesiæ sit, et Ecclesia Christi, Cant. 2. 16, sed et Christus in Ecclesia, et Ecclesia in ipso sit, Joh. 15. 4; 1 Joh. 3. 24; ita ut Ecclesia mysticè dicatur

Christus, 1 Cor. 12. 12, et complementum Christi. Eph. 1. 13.

16. Hinc Ecclesia dicitur metaphoricè sponsa, et Christus sponsus: Ecclesia civitas, et Christus rex: Ecclesia domus, et Christus paterfamilias: Ecclesia palmites, et Christus vitis: Ecclesia denique corpus, et Christus caput.

17. Istis autem comparationibus non unio tantum significatur et communio, quæ inter Christum et Ecclesiam intercedit: sed etiam ordinis ratio, qua Christus Ecclesiæ est omnis dignitatis, vitæ, virtutis, et perfectionis principium.

18. Ecclesia hæc est mystica ratione una, non genericè, sed quasi species specialissima, vel individuum: quia nullas habet species propriè dictas.

19. Dicitur igitur Catholica, non ut καθόλου genus aut generale aliquid significat, sed ut denotat aliquid integraliter universale (ut quum dicimus orbis universus) quia complectitur fideles omnium gentium, omnium locorum, et omnium temporum.

20. Nulla igitur pars Ecclesiæ verè dici potest Catholica, nisi quatenus fidem illam profitetur, quæ est fides Ecclesiæ Catholicæ: quo sensu veteres non solum partem illam Ecclesiæ quæ fuit Romæ: sed et alias etiam Catholicas appellavere. Sicut Ecclesia Franekerana nostra rectè dici potest Catholica, quatenus fidem illam, quæ est Ecclesiæ Catholicæ, profitetur.

21. In membra distribuitur Ecclesia secundum gradus communionis quam habet cum Christo, cujus respectu dicitur, vel militans vel triumphans.

22. Ecclesia militans est, quæ inchoatæ tantum com-

munionis est particeps : atque adeo luctatur adhuc cum hostibus in hujus mundi campo. 1 Cor. 13. 9, 12. *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cernimus enim nunc per speculum, et per ænigma. 2 Cor. 10. 3. Arma militiæ nostræ. Eph. 6. 12, 13. Lucta est nobis, propterea assumite universam illam armaturam Dei.*

23. Ecclesia triumphans est quæ jam est consummata. Eph. 4. 13. *Donec perveniamus nos omnes in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi. 1 Cor. 15. Postquam advenerit, quod patefactum est.*

24. Ecclesia militans est et invisibilis et visibilis ; visu scilicet vel sensu externo.

25. Hæc autem distinctio non est distributio generis in species, quasi una esset Ecclesia visibilis, et alia invisibilis : neque integri in membra, quasi una pars Ecclesiæ esset visibilis et alia invisibilis : sed distinctio adjunctorum ejusdem subjecti : quia invisibilitas est affectio vel modus Ecclesiæ, respectu formæ essentialis et internæ : visibilitas est affectio vel modus Ecclesiæ, quoad formam accidentalem et externam.

26. Forma essentialis est invisibilis : quia et relatio est, quæ non incurrit in sensum, et spiritualis etiam, atque adeo remota magis a sensu, quam aliæ multæ relationes.

27. Forma accidentalis est visibilis : quia nihil aliud est, quam internæ fidei externa professio, quæ sensu facile percipi potest.

28. Professio hæc visibilis est visibilis illa communio sanctorum, quam habent cum Christo et inter sese.

29. Communionis cum Christo sunt actus illi visibiles quibus sistunt sese Deo in Christo, ad percipiendas ejus benedictiones, et ad gloriam earum ipsi tribuendam.

30. Communionis inter sese sunt actus illi omnes, quibus alii aliis invicem benefacere student: sed præcipuè illi, qui directè faciunt ad communionem eorum cum Deo in Christo promovendam.

31. Posterioris hujus generis actus multi erga illos etiam sunt exercendi, qui adhuc non sunt membra Ecclesiæ: quia potentia quadam ad illam pertinere sunt judicandi.

32. Ecclesia hæc qua in se visibilis est, respectu aliorum et comparativè distinguitur etiam in conspicuam et latentem.

33. Conspicua est, quum numerus est major et professio liberior et magis publica.

34. Latens, quum numerus est minor, et professio minus aperta; quod fieri solet propter hæreses, persecutiones, aut profanos mores grassantes.

35. Eadem etiam ratione Ecclesia est purior et impurior, prout professio est perfectior vel imperfectior.

36. Professio autem ista non pendet ex confessione sola et prædicatione Verbi, sed etiam ex ejusdem receptione et obedientia religiosa.

37. Quamvis autem istiusmodi mutationibus Ecclesia sit obnoxia, et quamlibet mundi partem relinquere possit; nunquam tamen totaliter deficit, aut deficiet ab initio collectionis ejus ad finem usque mundi.

38. Christus enim regnum suum perpetuò debet habere in medio hostium suorum, usque dum posuerit inimicos in scabellum pedum suorum.

39. Imò verò Ecclesia nunquam planè desinit esse visibilis. Quamvis enim aliquando vix usquam appareat Ecclesia tam pura, ut ad illam quis confugere possit in

communionem ejusdem cultus per omnia ; ecclesia tamen aliquo modo visibilis existit, in illa ipsa impuritate cultus, et professionis.

CAP. XXXII.

De Ecclesia Instituta.

1. Ecclesia, quæ in terris agit, quamvis non sit tota simul visibilis, in suis tamen partibus est visibilis, tum divisim in membris ejus singularibus, tum etiam conjunctim in cœtibus aut congregationibus.

2. Prior visibilitas est per professionem hominum personalem, quæ non efficit Ecclesiam simpliciter visibilem, sed in membris quibusdam, vel membra Ecclesiæ visibilia, quamvis ipsa Ecclesia in se, vel statu suo integrali non sit in eodem loco visibilis. Act. 19. 1. *Paulus venit Ephesum, ubi discipulos quosdam invenit.*

3. Visibilitas illa quæ est in cœtibus vel congregationibus distinctis, non Ecclesiam solum visibilem facit ; sed quoad externam formam, tot ecclesias visibiles constituit, quot sunt congregationes distinctæ. Apoc. 1. 3. *Septem ecclesiæ.* 2 Cor. 8. 1, 19. *ecclesiæ Macedonum. Omnes ecclesiæ.*

4. Istæ enim congregationes sunt quasi partes similes Ecclesiæ Catholicæ, atque adeo et nomen et naturam ejus participant.

5. Ecclesia igitur particularis, respectu communis illius naturæ, quæ in omnibus particularibus ecclesiis reperitur, est species Ecclesiæ in genere ; respectu Ecclesiæ Catholicæ, quæ habet rationem integri, est membrum ex aggre-

gatione variorum membrorum singularium compositum, atque adeo respectu ipsorum est etiam integrum.

6. Congregatio vel ecclesia hujusmodi particularis, est societas fidelium speciali vinculo inter se conjuntorum, ad communionem sanctorum constanter inter sese exercendam.

7. Est societas fidelium, quia idem illud in professione constituit Ecclesiam visibilem, quod interna et reali sua natura constituit Ecclesiam mysticam, id est, fides.

8. Quia autem fides vera conjunctam habet sanctitatem, quam efficaciter operatur, Act. 15. 9. atque adeo professio veræ fidei non potest disjungi a professione sanctitatis; idcirco promiscuè et eodem sensu dicitur ecclesia societas fidelium, et societas sanctorum. Eph. 1. 1. *Sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Iesu*; 1 Cor. 1. 2. collato cum 2 Cor. 1. 1; Rom. 1. 7; Col. 1. 2.

9. Hinc ecclesiæ etiam visibiles et particulares, ratione hujus fidei quam profitentur, rectè dicuntur esse in Deo Patre, et in Domino Jesu Christo. 1 Thess. 1. 1; 2 Thess. 1. 1.

10. Maximè etiam probabile est, nullam dari ecclesiam istiusmodi particularem, in qua veræ fidei professio viget, quin in eadem etiam reperiantur nonnulli verè fideles.

11. Illi autem, qui professione tantum sunt fideles, dum remanent in illa societate, sunt membra illius ecclesiæ, sicut etiam Ecclesiæ Catholicæ, quoad statum externum tantum, non quoad statum internum, aut essentialem. 1 Joh. 2. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis.*

12. Fidelibus sunt annumerandi tanquam Ecclesiæ membra, fidelium eorum liberi qui sunt in Ecclesia,

1 Cor. 7. 14. *Liberi vestri sancti sunt*; participes enim sunt ejusdem fœderis et ejusdem etiam professionis cum suis parentibus.

13. Infantes tamen non adeo perfecta sunt membra Ecclesiæ, ut possint actus communionis exercere, aut admitti ad omnia ejus privilegia participanda, nisi prius incrementum fidei appareat: ab iis verò, quæ pertinent ad initium fidei et ingressum in Ecclesiam, non sunt excludendi.

14. Fideles non constituunt ecclesiam particularem, quamvis simul forsàn plures in eodem loco conveniant aut vivant, nisi speciali vinculo inter sese conjungantur: sic enim una aliqua ecclesia solveretur sæpe in plures, et plures etiam confunderentur in unam.

15. Vinculum hoc est fœdus, vel expressum vel implicatum, quo obligant sese fideles particulatim ad omnia illa officia præstanda, et erga Deum, et erga se mutuo, quæ spectant ad Ecclesiæ rationem et ædificationem.

16. Hinc est, quod in veteri Testamento toties ferè legimus de renovatione fœderis, quoties refertur solennis aliqua Ecclesiæ reformatio.

17. Hinc nemo ritè in Ecclesiam admittitur, nisi per fidei confessionem et stipulationem obedientiæ.

18. Fœderata ista conjunctio eatenus tantum constituit ecclesiam, quatenus spectat ad communionem sanctorum exercendam: iidem enim homines fideles possunt semetipsos fœdere conjungere ad civitatem, aut civilem aliquam societatem constituendam, qua immediatè spectant bonum commune civile: sed ecclesiam non constituunt, nisi qua in constitutione sua spectant sanctam communionem cum Deo et inter sese.

19. Hinc iidem homines possunt constituere civitatem, aut societatem politicam, et non ecclesiam; aut ecclesiam et non civitatem; aut et ecclesiam et civitatem.

20. Hinc est, quod conventus formaliter ecclesiastici haberi dicuntur in nomine Domini. Matt. 18. 20; 1 Cor. 5. 4.

21. Neque tamen sufficit subitanea aliqua conjunctio, et sanctæ communionis exercitium ad ecclesiam constituendam, nisi etiam constantiâ illa accedat quoad intentionem saltem, quæ statum adfert corporis et membrorum in spirituali quadam politia.

22. Ecclesia hæc est instituta a Deo, et Christo, Heb. 3. 4. *Qui construxit domum; omnis enim domus apparatur a quopiam*, atque hac ratione differt ab Ecclesia mystica, cujus aggregatio in unum non præscribitur hominibus, sed operatione divina immediatè perficitur; aggregatio autem ista in Ecclesiam institutam sic a Deo perficitur, ut ejus mandatum, et hominis officium, ac opera intercedant. Heb. 10. 25. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam.*

23. Instituitur autem a Deo, et Christo solo: quia homines neque ex sese potestatem habent instituendi, aut formandi Ecclesiam Christo, neque ex voluntate Dei revelata talem aliquam auctoritatem habent sibi commissam; maximus eorum honor est, quod sint famuli in domo Dei. Heb. 3. 5.

24. Non est igitur penes hominem, vel tollere quicquam eorum, quæ Christus Ecclesiæ suæ concessit, vel alia ejusdem generis iis adjicere: quamvis possit ac debeat omni ratione legitima curari, ut illa, quæ Christus instituit, promoveri possint ac confirmari.

25. Christus verò sic instituit Ecclesiam, ut a sese semper pendeat tanquam a capite: ita ut si distinctè consideretur absque Christo, non sit corpus completum.

26. Hinc Ecclesia ipsa non potest propriè novas leges sibimetipsi ferre, de rebus instituendis novis, sed illud tantum curare debet, ut voluntatem Christi probè exquirat, et ipsius instituta ordine ac decenter observet, cum maximo fructu ædificationis.

27. Quia verò instituta Christi conjunctam semper habent benedictionem Dei, idcirco promissiones Dei variæ factæ sunt Ecclesiæ de præsentia Christi, Matt. 18. 20; 1 Cor. 5. 4, ita ut singulari modo dicatur versari ac ambulare in ecclesiis, Apoc. 2. 1; Esa. 31. 9. et de præsentia Spiritus Sancti, Esa. 50. 21. ita ut amplior et certior benedictio Dei possit expectari in Ecclesia Dei instituta, quam in vita solitaria quacunque.

28. Illi igitur, qui occasionem habent adjungendi sese Ecclesiæ, et eam negligunt, gravissimè peccant, non tantum in Deum ratione institutionis, sed etiam in suas proprias animas, ratione benedictionis adjunctæ. Et si obstinatè persistent in ipsa incuria, quicquid aliàs profitentur, vix possunt haberi pro fidelibus regnum Dei verè quærentibus.

29. Professio veræ fidei est maximè essentialis Ecclesiæ nota.

30. Professio ista in cœtu aliquo fidelium potest antecedere solennem Verbi prædicationem et Sacramentorum administrationem.

CAP. XXXIII.

De Extraordinariis Ecclesiæ Ministris.

1. Hactenus de applicationis subjecto; sequitur ejus modus.

2. Modus applicandi in iis consistit, quæ sunt media Spiritus applicantis nobis Christum, cum ejus beneficiis, ad salutem.

3. Quia autem Spiritus ipse internè, et maximè intimè, atque adeo suo modo immediatè, omnia salutaria nobis applicat; neque externum ullum medium capax est propriè istius virtutis, qua gratia realiter nobis comunicetur: idcirco ista media quamvis moraliter concurrant et operentur in præparatione hominis ad gratiam istam recipiendam, gratiam tamen ipsam non propriè conferunt per se, sed Spiritus qui unà cum ipsis operatur. 1 Cor. 3. 7. *Neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat: sed Deus, qui dat crescendi vim.*

4. Media hujusmodi duo præcipua sunt: ministerium, et sacra signa: quibus tamen adjungitur necessario ecclesiastica aliqua disciplina.

5. Ministerium est functio ecclesiastica, qua homo selectus ex jure speciali res sacras dispensat. 1 Cor. 4.

1. *Ministerium hoc habemus, prout misericordiam consequuti sumus.* 2 Cor. 4. 12. *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi, et dispensatoribus mysteriorum Dei.*

6. Ministerium appellatur, quia potestas illa quæ hominibus ecclesiasticis committitur, est potestas tantum agendi ex imperio Christi, et mero erga ipsum obsequio. 1 Cor. 4. 1, 2.

7. Spiritualis potestas imperii vel regalis, qua agit

quis ex libertate et arbitrio proprio, non est hominum, sed Christi solius.

8. Hinc minister Ecclesiæ per semetipsum suum officium exsequi tenetur, ut qui non habet potestatem vicarium aliquem suo loco delegandi; hoc enim non esset obsequii, sed imperii.

9. Minister igitur perpetuus variarum ecclesiarum per vicarios necessariò curandarum, non est ex Dei instituto, sed ex ambitione et præsumptione humana.

10. Potestas non est absoluta, sed relativa; id est, non consistit in absoluta facultate aliquid agendi; sed in jure, quo quis potestatem habet ritè et legitimè agendi, quod antea non potuit sic agere; atque ideò dicitur potestas juris.

11. Est autem specialis juris: quia specialia quædam officia respicit aliis illicita, et quædam officia communia speciali quodam modo induit.

12. Jus ministerii pendet ex vocatione. Heb. 5. 4. *Neque sibi ipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur a Deo; sicut et Aaron.*

13. Vocatio est actio qua cum auctoritate ministrandi munus alicui demandatur.

14. Sunt igitur illi planè ridiculi, qui vocationem ministrorum sic instituunt, ut prædicandi Verbi potestatem ipsis non tribuant, nisi ex nova aliqua concessionem.

15. Vocationis adjunctum necessarium est aptitudo ad ministerium.

16. Hinc illi qui sunt prorsus inepti ad ministerium implendum, si ab hominibus eò vocentur, sunt ministri hominum, non Dei. Hos. 4. 6. *Quia tu scientiam sprevisisti, spernam quoque te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

17. Aptitudo hæc oritur ex donorum idonea mensura, et voluntate prompta munus illud capessendi et exsequendi.

18. Ex ministerio oritur tertius Ecclesiæ status. Sicut enim per fidem habet suum statum essentialem, et per combinationem, integram; sic etiam per ministerium habet organicum quandam statum: quoniam apta jam redditur ad omnes illas operationes exercendas, quæ pertinent ad bonum totius.

19. Operationum harum ratio et directio est politia ecclesiastica.

20. Politia hujus forma est planè monarchica respectu Christi capitis ac regis: sed quoad visibilem et vicariam administrationem, est mixtæ naturæ, partim quasi aristocratica, et partim quasi democratica.

21. Hinc in ministerio Ecclesiæ legitimo nullum locum habet hierarchia, sed potius hierodulia.

22. Ministrorum igitur unus non subjicitur in sua dispensatione potestati alterius: sed omnes immediatè pendent a Christo: sicut angeli illi qui munere sunt aliis inferiores, immediatè subjiciuntur Deo, non aliis angelis.

23. Ministerium hoc est vel extraordinarium vel ordinarium.

24. Extraordinarium ministerium est, quod habet altiore[m] quandam et perfectiorem directionem, quam ordinariis mediis possit haberi.

25. Hinc ministri hujusmodi semper habent dona et assistentiam extraordinariam, ita ut sine errore ministrent.

26. Extraordinarii ministri jus neque ab homine,

neque per hominem propriè confertur, sed a solo Deo per Jesum Christum et Spiritum Sanctum. Gal. 1. 1.

27. Hinc vocatio ad tale ministerium est immediata.

28. Omnis tamen extraordinaria vocatio non est ita immediata, ut excludat omne ministerium hominum; sicut apparet in Elisæi et Matthiæ vocatione, sed illud tantum ministerium excludit, quod infallibili directione destituitur.

29. Extraordinarium hoc ministerium necessarium planè fuit Ecclesiæ, quia voluntas illa Dei quæ pertinet ad benè Deo vivendum, non potuit humana industria et ordinariis mediis indagari, ut cæteræ omnes artes ac scientiæ, sed requirebat homines a Deo excitatos ac missos, quibus ille voluntatem suam patefecit, ut essent nobis vice ipsius Dei. Exod. 4. 15, 16. *Tu verò sis ei vice Dei.*

30. Extraordinariis istis ministris voluntatem suam revelavit Deus; i°. viva voce, Apoc. 1. 10. cui sæpè accedebat apparitio et allocutio angeli, aut Christi ipsius, tanquam Angeli fœderis; ii°. per visionem, qua simul cum verbo species rerum indicandarum vigilantium oculis fuerunt repræsentatæ; iii°. per somnium, quo similia proposita fuerunt dormientium animis; iv°. nonnunquam etiam singulari quadam familiaritate quasi ore ad os, sine ænigmatis. Num. 12. 6, 7, 8. *Si est propheta ex vobis, per visionem meipsum Iehovam notum faciam ei, aut per somnium alloquor eum. Non sic servus meus Moses, in os alloquar eum, adeo ut speciem similitudinemque Iehove intueatur, ac non per ænigmata.*

31. Revelationis hujus modus fuit adeo potens, ut rapuerit homines sæpè in ecstasin, qua ita correpti

fuerunt supra semetipsos, ut nihil perceperint præter illud quod fuit propositum, neque illud ipsum totum secundum omnes ejus circumstantias. 2 Cor. 12. 3, 4.

32. Est tamen adeo certus, ut divina ejus veritas confirmetur semper, et singulari quadam ratione obsignetur iis, quibus revelatur: ita ut non indigeat alia confirmatione; Gal. 1. 17. et 2. 6. *Neque redii ad eos qui ante me fuerunt Apostoli. Qui sunt in pretio, nihil mecum contulerunt;* quamvis aliquando etiam ex abundantia adjiciantur miracula. Jud. 6. 36, 37, 38.

33. Extraordinarium hoc ministerium est vel ad Ecclesiæ primam institutionem, vel ad institutæ singularem et extraordinariam conservationem, vel denique ad collapsæ restitutionem extraordinariam.

34. Ministerium institutionis conjunctum semper habet miraculorum testimonium. Heb. 2. 3, 4. *Quæ quum primum enarrari cœpit, etc. testimonium illis præbente Deo, et signis, et prodigiis, variisque virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus pro sua voluntate.*

35. Miracula tamen non ita doctrinæ alicujus attestantur, ut statim ipsi fidem faciant. Illa enim doctrina quæ non consentit cum nota Dei voluntate, non debet admitti, quamvis miraculis videatur confirmari. Deut. 13. 1, 2, 3. *Quamvis eveniat signum illud aut prodigium, quod prædixerat tibi dicendo, sequamur Deos alienos: ne auscultato verbis prophetae.* Gal. 1. 8. *Etiamsi nos, aut angelus e cælo evangelizet vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema esto.*

36. Ministerium conservationis et restorationis, quamvis sit extraordinarium, et sæpè miraculis confirmetur, non tamen semper aut necessariò requirit miraculorum

testimonium ; sicut apparet in multis V. T. et in Johanne Baptista.

37. Extraordinarii ministri fuerunt Prophetæ, Apostoli, et Evangelistæ.

38. Wiclefus, Lutherus, Zuinglius et similes Evangelii restauratores primi, non fuerunt propriè loquendo extraordinarii ministri.

39. Extraordinarii tamen non male a quibusdam appellantur ; i°. quia aliquid præstiterunt simile eorum, quæ ab extraordinariis ministris præstita fuerunt olim ; ii°. quia quoad gradum, singularia quædam dona acceperunt a Deo, prout res ipsa postulabat : quod etiam affirmari potest de multis inter martyres illustriores ; iii°. quia ordine tum temporis perturbato, et collapsa, necesse habuerunt nonnulla tentare præter ordinem communem.

40. Ridiculum est igitur, ab istis hominibus postulare miracula, ad confirmationem illius doctrinæ quam proposuerunt, cum talis attestatio ne in extraordinariis quidem omnibus fuit necessaria.

CAP. XXXIV.

De Scriptura Sacra.

1. Extraordinarii ministri a Deo fuerunt excitati, ad Ecclesiam instituendam, non tantum viva voce, sed etiam scriptis divinis, ut perpetuus esset usus et fructus hujus ministerii in Ecclesia, etiam cum tales ministri non superessent.

2. Illi enim soli potuerunt regulam fidei ac morum scriptis mandari, qui propter immediatam et infallibilem

directionem, quam habuerunt a Deo, immunes fuerunt in illo negotio ab omni errore.

3. Scribendi mandatum acceperunt a Deo, partim externè et generaliter, cum docere jubebatur, et specialiter aliquando, cum ipsa scriptio imperabatur, Dent. 31. 19; Apoc. 1. 19. *Scribite vobis canticum hoc. Scribe quæ vidisti*, et partim interno Spiritus instinctu. 2 Pet. 1. 21. *Non enim libitu hominus allata est olim prophetia, sed acti a Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* 2 Tim. 3. 16. *Tota Scriptura divinitus est inspirata.*

4. Scripserunt etiam afflatu et ductu Spiritus Sancti, ita ut homines ipsi fuerint quasi organa Spiritus. Jer. 1. 9. *Ecce indo verba mea ori tuo.* Act. 28. 25. *Bene sanè Spiritus Sanctus loquutus est per Esaiam prophetam.*

5. Inspiratio verò divina scribentibus illis adfuit cum aliqua varietate. Quædam enim scribenda incognita prorsus antea fuerunt scriptori, sicut in historia creationis præteritæ et in prædictionibus futurorum satis liquet: quædam autem prius nota erant scriptori, ut in historia Christi per Apostolos conscripta patet; et horum alia naturali cognitione tenebant, alia supernaturali. In occultis et ignotis inspiratio divina omnia præstabat per se: in iis quæ nota fuerunt, aut quorum notitia ordinariis mediis acquiri potuit, accedebat etiam religiosum studium scriptorum; Deo ita adsistente, ut in scribendo non errarent.

6. In iis omnibus quæ per supernaturalem revelationem innotuerunt, sive in jure, sive in facto versentur, non solum res ipsas inspiravit, sed etiam singula verba quibus scriberentur dictavit atque suggestit: quod tamen factum est cum suavi illa attemperazione, ut unusquisque scrip-

tor iis uteretur modis loquendi, qui maximè conveniebant ejus personæ et conditioni.

7. Hinc Scriptura sæpè tribuitur Spiritui Sancto tanquam auctori, nulla mentione facta amanuensium. Heb. 10. 15. *Testatur nobis et ipse Spiritus Sanctus.*

8. Hinc etiam, quamvis in inscriptionibus sacrorum librorum indicetur maxima ex parte, quorum opera scripti fuerint; nonnunquam tamen hac de re altum habetur silentium, idque sine ullo ejusmodi librorum detrimento, vel auctoritatis eorum imminutione. .

9. Neque tamen sufficit ad Scripturæ sacræ partem constituendam, si liber aliquis per extraordinarium aliquin Dei servum scribatur, et ex certâ Spiritus directione, nisi etiam auctoritate divina publicè Ecclesiæ sit datus, et sanctificatus, ut sit canon sive regula ipsius.

10. Res ipsa quam scriptis mandarunt, quoad summam rei et præcipuum finem, nihil aliud est, quam voluntas illa Dei revelata, quæ est regula fidei ac morum.

11. Hinc omnia illa, quæ in disputatione prima dicta fuerunt de doctrina vitæ a Deo revelata, conveniunt propriè Scripturæ sacræ. Scriptura enim nihil aliud est, quam illa doctrina cum scriptionis modo adjuncto; qui modus non fuit ibi sed hoc in loco tractandus.

12. Hinc Scriptura quoad rem et sententiam subjectam, id est, quatenus fuit doctrina divinitus revelata, fuit prior Ecclesia; sed quoad modum, cujus respectu dicitur propriè Scriptura, posterior est Ecclesia primâ.

13. Partim ratione materiæ subjectæ et objectæ, quæ vera ac salutaris Dei voluntas dicitur, et partim ratione directionis illius, qua fuit illa scriptis mandata, dicitur Scriptura sacra, et κατ' ἐξοχῆν Scriptura: et scriptores

etiam ipsi vocantur sancti. Rom. 1. 2; Eph. 3. 5; 2 Pet. 1. 21. et 2. 22. et 3. 2; Apoc. 18. 20.

14. Quamvis autem ex occasione aliqua singulari variæ Scripturæ partes fuerint exaratae, et ad certos quosdam homines aut cœtus directæ: æquè tamen ex intentione Dei pertinent ad institutionem singulorum fidelium per omnia secula, ac si ad ipsos singulariter fuissent directæ, unde (Heb. 12. 5) adhortatio Salomonis, quæ in Proverbiis habetur, loqui dicitur Hebræis, qui apostolicis temporibus vivebant, tanquam filiis; et (2 Pet. 3. 15) Paulus dicitur omnibus fidelibus scripsisse, quod scripsit Romanis; et (Heb. 13. 5) quod dictum fuit Josuæ, dici perhibetur omnibus fidelibus.

15. Scripturis continentur omnia illa, quæ sunt ad salutem necessaria: atque etiam omnia illa quæ necessario requiruntur ad institutionem et ædificationem Ecclesiæ. 2 Tim. 3. 15, 16, 17. *Sacræ literæ te possunt sapientem reddere ad salutem. Ut sit perfectus homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.*

16. Hinc Scriptura non est partialis sed perfecta regula fidei ac morum: neque quicquam est observatu necessarium in ecclesia Dei, constanter et ubique, quod pendet vel ex traditione aliqua, vel ex auctoritate quacunque, et non continetur in Scripturis.

17. Omnia tamen non simul et semel scriptis tradita fuerunt: quoniam Ecclesiæ status et sapientia Dei aliud postulabat: sed a prima scriptione illa fuerunt successivè literis mandata, quæ seculis illis fuerunt necessaria.

18. Neque idcirco creverunt articuli fidei secundum temporum successionem quoad essentiam, sed tantum quoad explicationem.

19. Quoad modum tradendi: Scriptura non explicat voluntatem Dei regulis catholicis et scientificis; sed narrationibus, exemplis, præceptis, exhortationibus, admonitionibus, et promissionibus; quia iste modus maximè facit ad usum communem omnis generis hominum, et maximè etiam ad voluntatem afficiendam, et pios motus excitandos, qui præcipuus est scopus theologiæ.

20. Eo modo etiam voluntas Dei revelatur in Scripturis, ut quamvis res ipsæ plerumque difficiles captu, modus tamen eas tradendi et explicandi, in iis præsertim quæ sunt necessaria, clarus sit et perspicuus.

21. Hinc non indigent Scripturæ, præsertim in necessariis, explicatione ulla tali, qua ipsis lux inferatur aliunde: sed sibimet lucem ipsæ præbent, quæ ab hominibus studiosè debet elici, et pro vocationis ratione cum aliis communicari.

22. Hinc etiam unius loci Scripturæ unicus est sensus: quia alias Scripturæ sensus non tantum non esset perspicuus et certus, sed nullus omnino: quod enim non unum significat, nihil significat certò.

23. Ad controversias theologicas dijudicandas, non est constituta visibilis aliqua potestas in Ecclesia, quasi regia seu prætoria: sed hominibus imponitur officium inquirendi; communicatur donum discernendi, tam publicè, quam privatim; et indicitur studium promovendi veritatis cognitæ scientiam et praxin, pro vocationis eorum ratione: quibus etiam adjungitur promissio directionis, et benedictionis divinæ.

24. Quia verò Scripturæ datæ sunt ad Ecclesiæ usum et ædificationem, idcirco iis linguis conscriptæ fuerunt,

quæ maxime communes et vulgatæ fuerunt in Ecclesia tum temporis cum conscriberentur.

25. Hinc omnes illi libri qui conscripti fuerunt ante adventum Christi, Hebraicè scribebantur: Judæis enim credita fuerunt eloquia Dei; Rom. 3. 2. et 9. 4. et pariter qui postea conscripti fuerunt Græcè tradebantur, quia illa lingua maximè communis fuit in illis partibus ubi Ecclesia prima vigeat.

26. Hinc ad accuratam Scripturæ intelligentiam, necessaria est aliqua saltem cognitio linguarum: Scripturæ enim iisdem mediis intelliguntur, quibus alia scripta humana, peritia nempe et usu Logicæ, Rhetoricæ, Grammaticæ et linguarum illarum, quibus exprimuntur: nisi quod in Scripturis singulare Spiritus lumen sit piis semper quærendum.

27. Linguis tamen istis primis non adeo affixa est Scriptura, quin et possit et debeat etiam in alias linguas transferri, ad communem usum ecclesiæ.

28. Inter interpretes autem, neque septuaginta illi, qui Græcè vertebant, neque Hieronymus, neque similis quisquam, functus est munere prophetico, ita ut immunis fuerit ab erroribus in interpretando.

29. Hinc nullæ versiones sunt absolutè authenticæ, sed eatenus tantum, quatenus exprimunt fontes, ad quos etiam sunt exigendæ.

30. Neque ulla est auctoritas in terris, qua versio aliqua reddi possit simpliciter authentica.

31. Hinc illustris semper fuit et adoranda Dei providentia in conservandis fontibus, non tantum ne planè perirent, sed etiam ne mutilarentur alicujus libri jactura, aut gravi aliquo vitio deformarentur, cum interim ex

versionibus vetustioribus nulla una integra sit relicta.

32. Ex versionibus istis humanis nihilominus percipi possunt illa omnia, quæ sunt absolutè necessaria, si modò convenient cum fontibus in essentialibus partibus, ut solent omnes versiones in ecclesiis receptæ, quamvis dissentiant ac deficiant in minutioribus non paucis.

33. Neque idè tamen in qualibet versione recepta perpetuò est acquiescendum: sed cum omni religione curandum, ut purissima et emendatissima interpretatio proponatur Ecclesiæ.

34. Ex istis libris omnibus divinitus traditis, et in Ecclesiæ quasi arca collocatis, conficitur canon integer fidei ac morum, unde nomen etiam habent Scripturæ canonicæ.

35. Canonem Veteris Testamenti constituerunt prophetæ, et Christus ipse suo testimonio comprobavit. Canonem Novi Testamenti una cum veteri comprobavit et obsignavit Apostolus Johannes auctoritate divina instructus. Apoc. 22. 18, 19. *Enimvero una testor cuius audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto: et si quis abstulerit aliquid ex libris prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus e libro vitæ.*

36. Libri illi qui vulgò apud nos apocryphi vocantur, non pertinent ad canonem divinum, neque rectè satis ab hominibus fuerunt olim libris canonicis adjuncti, tanquam secundarius quidam canon. Nam primò in quibusdam eorum manifestæ fabulæ narrantur et affirmantur pro veris historiis, ut de Tobia, Judith, Susanna, Bele, Dragone et similia multa. Secundò, et sanctæ Scripturæ

et sibi ipsis sæpè contradicunt. Tertiò, non fuerunt Hebraicè scripti, neque Judaicæ Ecclesiæ traditi aut ab eadem recepti, cui tamen Deus oracula sua omnia commisit ante adventum Christi. Rom. 9. 4. Quartò, non fuerunt a Christo approbati, quia non erant inter illos libros quos ipse designavit, cum jussit suos scrutari Scripturas. Quintò, neque ab Apostolis neque in prima Ecclesia Christiana fuerunt unquam recepti, ut pars canonis divini.

CAP. XXXV.

De Ministris ordinariis et eorum officio in concionando.

1. Ministerium ordinarium est, quod totam suam directionem habet a voluntate Dei in Scripturis revelata, et ab illis mediis, quæ Deus in Ecclesia constituit, ad ipsius perpetuam ædificationem.

2. Atque hinc dicuntur ordinarii: quia ex ordine a Deo constituto possunt ac solent ad ministrandum vocari.

3. Quia verò in administratione sua regulam habent sibi fixam, voluntatem illam Dei, quæ revelata prius fuit per extraordinarios ministros; idcirco nihil proponere aut agere debent in Ecclesia, quod in Scripturis non habent præscriptum.

4. Idcirco etiam pendent ab extraordinariis ministris, et sunt ipsorum quasi successores: quamvis enim quoad modum et gradum extraordinarii ministri nullos habent successores, quoad ipsam tamen essentiam administrationis, eodem officio funguntur ministri ordinarii versus Ecclesiam, quo extraordinarii olim fungebantur.

5. Hujus ministerii jus per homines communicari solet, atque illa ratione vocatio ordinarii ministri est mediata.

6. Hoc autem sic est intelligendum, ut auctoritas administrandi res divinas a Deo immediatè communi- cetur ministris omnibus legitimis; et designatio person- arum, in quas confertur, fiat per ecclesiam.

7. Quia verò Ecclesia, neque dona huic ministerio necessaria potest conferre, neque Deo præscribere, in quem ab ipso conferantur, idcirco eos tantum eligere potest, quos antea vidit aptos. Non enim sicut extra- ordinarii ministri sic etiam ordinarii per ipsam voca- tionem redduntur apti, cum antea fuerint inepti.

8. Hinc in ordinaria vocatione illud necessariò requiri- tur, ut probatio legitima antecedit ipsam vocationem. 1 Tim. 3. 10. *Explorentur prius, deinde ministrent, si sunt inculpati.*

9. Ministerium ordinarium est ad ecclesiam ordin- ariis mediis conservandam, propagandam et restauran- dam.

10. Ministerii hujus duæ sunt partes; i°. ut nomine Dei agat apud populum, quæ sunt agenda; ii°. ut nomine populi agat apud Deum, quæ sunt apud ipsum agenda.

11. In istis autem maximè excellit, atque adeo per- petui semper usus fuit in Ecclesia prædicatio Verbi.

12. Concionatoris ordinarii officium est Dei volunta- tem ex Verbo proponere ad ædificationem auditorum. 1 Tim. 1. 5. *Finis annunciationis (παράγγελιας) est charitas ex mundo corde et conscientia bona et fide minimè simu- lata.*

13. Quia autem imprimis requiritur serium studium Ecclesiae aedificandae, idcirco non potest ille concionator idoneus esse, qui non *comparavit animum suum ad quaerendum legem Jehovah et ad praestandum eam, et ad docendum Israellem statuta ac judicia*: Ezech. 7. 10. debet enim qui alium docet, semetipsum antea et simul etiam docere: Rom. 2. 12, alias non est paratus ad Ecclesiam aedificandam.

14. Officium istud faciendum est, non tantum universaliter respectu omnium auditorum in communi, sed etiam specialiter respectu ordinis et aetatis cujuscunque, ut senum, adolescentum, servorum, Tit. 2. et 3, doctorum, 2 Pet. 1. 12, etc., imò singulorum, 1 Thess. 2. 11. *Unumquemque vestrum hortabamur, et consolabamur, et obtestabamur*, non publicè tantum, sed etiam privatim. Act. 20. 20. *Publicè et domatim.*

15. Istum aedificandi scopum ita semper habere debet ob oculos, ut sedulò caveat, ne ab eo *divertat ad vaniloquentiam*, 1 Tim. 1. 6; *ad litigationem de verbis*, 2 Tim. 2. 14; *ad controversias inutiles, aut speculationes falso nominatae scientiae*, 1 Tim. 6. 20; *sed praebeat se tenacem sermonis fidelis, qui ad doctrinam facit*, Tit. 1. 9; *quique damnari non possit.* Tit. 2. 8.

16. Quia verò in istum finem voluntas Dei ex ejus Verbo est proponenda, idcirco non est ille ad hoc ministerium aptus, qui non habet sensus suos in sacris literis exercitatos, etiam supra vulgus fidelium, ita ut cum Apollo dici possit potens in Scripturis. Act. 18. 24. Postillis et commentariis non est fidendum.

17. Ut voluntas Dei cum aedificationis fructu proponatur, duo haec sunt necessaria factu; i. ut declar-

atio fiat eorum, quæ in textu continentur; iiº. ut eorundem applicatio instituat ad auditorum conscientias, prout illorum conditio postulare videtur. 1 Tim. 6. 17. *Is qui divites sunt in hoc seculo denuncia, ne efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis, etc.*

18. Imponunt auditoribus, et suimet planè obliviscuntur illi, qui textum certum initio proponunt, tanquam principium concionis habendæ, et postea multa dicunt circa textum, aut ex occasione textus, sed nihil ferè ex ipso textu deducunt.

19. In declaratione, quid veri sit in textu, prius debet explicari; et tum postea, quid boni ex eo sequatur. Illa pars in doctrinis vel documentis versatur; hæc in usu vel utilitatis ex doctrinis illis derivatione. 2 Tim. 3. 16. *Tota scriptura utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, et disciplinam in justitia.*

20. Qui istas partes invertunt et confundunt, auditorum memoriæ non consulunt, ac ædificationem ipsorum non parum impediunt: quia præcipua capita concionis non possunt memoriæ mandare, ut postea repetant in familiis suis privatim, sine quo exercitio perit maxima pars illius fructus, qui ex concionibus redundaret in Ecclesiam Dei.

21. Doctrina est axioma theologicum, vel in Scripturæ verbis positum expressè, vel ex illis per immediatam consequentiam fluens.

22. Doctrina recte primo debet investigari, et tum postea tractari.

23. Investigatio fit per analysin Logicam, cui inservit etiam Rhetorica et Grammatica.

24. Analysis pendet præcipuè ex observatione scopi

vel propositi, et mediorem quibus attingitur, secundum artem Logicam.

25. Huic ad confirmationem subjungi debet interpretatio eorum, quæ dubia sunt in analysi : manifesta verò et per se perspicua nec postulant nec admittunt supervacaneam interpretationem.

26. Tractatio partim in probatione consistit, si in quæstionem venire possit apud auditores (ineptum est enim illud sollicitè confirmare, quod omnes agnoscunt), et partim in illustratione rei satis probatæ.

27. Probatio peti debet ex clarioribus Scripturæ testimoniis, rationibus etiam adjunctis, ubi rei natura patitur. Hic autem servandus est modus ille, quem auditorum commodum dictabit.

28. Illustratio ex omnibus ferè inventionis locis depromi potest, sed præcipuum hic locum habent dissentanea et comparata.

29. Doctrina quæque satis jam explicata debet statim ad usum transferri ; qua etiam in parte, nisi ratio aliqua singularis aliud postulat, magis est insistendum : quippe quæ alterius finem ac bonum continet, et cum concionis præcipuo scopo, auditorum scilicet ædificatione, magis est conjuncta.

30. Peccant igitur, qui inhærent nudæ veritatis indagatiōni et explicationi, et neglecto usu ac praxi, in qua religio atque adeo beatitudo consistit, conscientiam parum aut nihil ædificant.

31. Neque tamen vel omnes doctrinæ quæ possunt ex textu erui, semper sunt proponendæ, neque omnes usus inculcandi, sed illi sunt eligendi, quos circumstantiæ loci, temporis, ac personarum maximè necessarios esse

docebunt; et ex illis præcipuè hi, qui maximè faciunt ad religionis vigorem vel excitandum vel confirmandum.

32. Peccant igitur, qui susque deque habent quid dicant, dummodo multa videantur observasse et dixisse: imò non raro hoc agunt, ut multa textui extorqueant, quamvis ei non insint, et sæpè aliunde ad illum rapiunt, quidlibet ex quolibet proferentes: ex quo quidem auditorum, præsertim imperitorum, magis sequitur subversio quam ædificatio.

33. Cum doctrina, tum usus, quantum fieri potest, ita formari debent, ut connexionem aliquam inter se habeant, et eam etiam præ se ferant. Neque enim sine incommodo rapitur animus ab uno ad aliud: neque est quod magis memoriam juvat, quam ordo deductionis.

34. Usus est axioma theologicum ex doctrina deductum, utilitatem, bonitatem vel finem ejus ostendens.

35. Deductionis ratio est explicanda, si sit minus aperta: cui etiam probatio vel illustratio debet subjungi, prout necessitas auditorum, et prudentia dicentis monebunt.

36. Utilitas hæc vel ad judicium pertinet, vel ad praxin. 2 Tim. 3. 16.

37. In judicio est mentis informatio et reformatio.

38. Informatio est veritatis alicujus probatio.

39. Reformatio est falsitatis alicujus refutatio.

40. Quamvis autem omnis veritas possit ex occasione doceri, omnis tamen error non est ubique refutandus. Veteres enim hæreses, quæ jam sunt sepultæ, non sunt refodiendæ ut refutentur, neque blasphemix nefandæ facillè repetendæ: turbat hoc et offendit, præsertim cum solenniter nominantur, explicantur, ac refutantur.

41. In praxi vitæ est directio, quæ constat ex institutione et correctione.

42. Institutio est vitæ sequendæ demonstratio.

43. Correctio est vitæ fugiendæ damnatio.

44. Post declarationem sequi debet applicatio, quæ tamen cum utilitatum derivatione tantam habet cognitionem, ut sæpe cum illa permisceri possit.

45. Applicare doctrinam ad usum ejus, est speciali accommodatione sic veritatem aliquam generalem acuere, et ingerere, ut penetrare possit in animos præsentium cum piorum affectuum commotione.

46. Pungendi sunt ad vivum, ut sentiat in singulis illud Apostoli, verbum Domini nempè gladium ancipitem esse, qui intima usque cogitationum et affectuum configat, et ad ipsam usque ossium et medullarum compaginem pervadat. Prædicatio igitur non debet esse mortua, sed viva et efficax adeo, ut infideli ingrediente in cœtum fidelium, affici illum oporteat, et quasi transfodi ipsa verbi auditione, ut det gloriam Deo. 1 Cor. 14. 25. *Et ita quæ occulta sunt in ejus corde, manifesta fiunt, atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, annuncians Deum verè in vobis esse.*

47. Hæc autem respicit vel animum oppressum, ut consolatio : vel deficientem in prosecutione boni, ut exhortatio ; vel in vitiatione mali, ut admonitio.

48. Consolatio est argumenti alicujus applicatio, vel ad tollendum vel ad mitigandum dolorem ac metum opprimentem.

49. In consolatione notæ utiliter adjunguntur, ex quibus conscientia hominis certa reddi possit, quod ad ipsum pertineat hujusmodi beneficium, cujus consideratione

minister fidelium conscientias consolatur, abjectis occupationibus et refutatis, quas pia et anxia mens in contrarium afferre et cogitare possit.

50. Exhortatio est argumenti applicatio, vel ad internam aliquam virtutem ingenerandam, vegetandam et excitandam, vel ad exercitium ejus promovendum.

51. In exhortatione ad virtutem, multum juvat ostendere media, quæ ad virtutem illam in nobis generandam faciunt: singula verò ex Scripturæ locis et exemplis probentur, aut rationibus quæ firmum in Scriptura fundamentum habent.

52. Admonitio est argumenti alicujus applicatio, ad pravitatem aliquam corrigendam.

53. In admonitione, seu dehortatione a vitiis, remedia adjungi possunt, ex iis locis, quæ adversus illa vitia maximè sunt valitura.

54. Modus agendi in hisce omnibus talis esse debet, ut nullam ostentationem habeat humanæ sapientiæ, aut intermixturem affectuum carnalium, sed Spiritus demonstrationem ubique manifestatam. 1 Cor. 1. 17, et 2. 1, 4, 13. *Non cum dicendi peritia, ne inanis reddatur crux Christi. Non eminentia orationis, aut sapientiæ. Neque in persuasoris humanæ sapientiæ verbis, sed demonstratione spirituali et potente. Non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus.* Est enim verbum Spiritus, verbum vitæ, quod prædicatur ad ædificationem Dei, quæ est per fidem: quibus si quid congruenter non dicatur, aut fiat, æquè inane est ac fœnum, et stipula. 1 Cor. 3. 12.

55. Neque igitur testimonia humana, qualiacunque sint, neque historiæ doctis tantum notæ intermisceri

debent, nisi rarius (causa etiam significata, quæ cogit ita facere), cum urgens necessitas aut certa spes fructus tale quid postulare videtur: nedum verba aut sententiæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, quas populus non intelligit.

56. Læditur puritas, perfectio, et majestas verbi Dei, dum verborum humanorum permixtionem desiderare perhibetur: et scandalum simul præbetur auditoribus, qui assuefacti hujusmodi flosculis humanis, aurium pruritus sæpè contrahentes, simplicitatem Evangelii incipiunt fastidire, et sanam doctrinam nolunt sufferre. 2 Tim. 4. 5.

57. Pauli exemplum, qui paucula quædam et brevia citat poetarum Gentilium dicta, auctoribus non nominatis, ad Gentiles, quibus nota et probata fuerunt, convincendos, idque rarissimè et obiter,—hoc, inquam, exemplum nihil juvat illos, qui præter necessitatem, aut etiam utilitatem, frequenter, et studio, laudatis auctoribus eadem ferè solennitate, qua solent prophetarum nomina citare, apud Christianos, qui solum Christum audire cupiunt, obrudunt humana testimonia, ad eruditionem aliquam ostentandam.

58. Neque etiam procemia non necessaria, et longè petita, aut persuasoria oratorum verba sunt consecranda: nec digressionibus aut excursionibus est indulgendum. Sapiunt ista spiritum humanum, tempus conterunt, et excludunt alia, quæ magis ædificarent.

59. Si verò aliquod exordium adhibetur ad rem præsentem spectans, illud locum proprium habet, vel in textus declaratione, vel in ejus applicatione ad usum.

60. Sermo et actio tota debet esse spiritualis, ex intimo corde fluens, hominem indicans et in Scripturis et

in pietatis exercitiis multum versatum : qui etiam illa quæ aliis suadere conatur, sibimet ante persuasit et conscientiæ suæ penitus infixit : cui denique adest zelus, charitas, lenitas, libertas, humilitas, cum auctoritate gravi.

61. Sermonis pronuntiatio debet esse cum naturalis, popularis, clara et distincta, ut commodè possit intelligi ; tum rebus congrua, ut etiam affectus movere possit. Gal. 4. 20. *Velim autem nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam : quoniam hæsito in vobis.*

62. Inter alias duæ hæc maximè peccant : altera lenta, tarda, cantillans, somnolenta, in qua non tantum verba in eadem commatis distinctione cum pausa separantur, sed et in eadem voce syllabæ, cum magno rerum intellectus impedimento.

63. Altera vox, quæ hic maximè peccat, est præceps ac velox, quæ celeritate nimia aures obruit, ut nulla fiat distincta rerum perceptio.

64. Sermo, pronuntiatio, et actio quæ in senatu, in judiciis, in foro esset ridicula, illa in concione magis est fugienda.

65. Dilucidius apparet Spiritus Sancti efficacia in nuda verborum simplicitate, quam in elegantia et nitore : hinc Paulus dicit se *ιδιῶτην τῶ λόγῳ*. 2 Cor. 11. 6. Si tamen polleat aliquis vi quadam dicendi externa, cum genuina simplicitate debet illam usurpare.

66. Quantum affectationis apparet, tantum perit efficaciam et auctoritatis.

67. Summa est, nihil admittendum esse, quod non facit ad spiritualem populi ædificationem ; neque omittendum quicquam, quo ad illum finem certa ratione pervenire possimus.

68. Concionis appendix est oratio, tam præcedens quam consequens.

69. In præcedente generalia illa debent proponi, quibus Verbi et prædicationis finis et usus, nostraque indignitas, indignitas, et officium, una cum gratiosis Dei promissis, ita commemorentur, ut exsuscitari possint animi omnium ad voluntatem Dei humiliter quærendum, et fideliter observandum.

70. In oratione consequente gratiarum actio semper est adhibenda, et præcipua concionis capita in petitiones debent converti.

CAP. XXXVI.

De Sacramentis.

Hactenus de modo applicationis quoad primam partem, scilicet in ministerio.

1. Applicationis modus quoad alteram partem est in signis.

2. Signum est res sensibilis, quæ præter illam speciem quam sensibus immediatè infert, aliud etiam simul facit in cogitationem venire : atque hoc sensu signi ratio tam latè patet, atque argumenti logici.

3. Signum aliud est naturale, aliud per institutionem.

4. Inter hæc duo tamen tantum est discrimen, ut sine turpi errore non possint confundi.

5. Est etiam signum aliud ordinarium et perpetuum, aliud extraordinarium et temporarium.

6. Respectu rei significatæ est, vel rerum præteritarum, et dicitur *ἀναμνηστικόν* seu rememorativum ; vel rerum præsentium, et dicitur *διαγνωστικόν*, demonstra-

tivum; vel rerum futurarum, et dicitur, *προγνωστικόν* seu prænunciativum; vel denique ex omnibus istis conflatum, ita ut præsentia, præterita, et futura designet.

7. Respectu finis et usus vel inservit intellectui, et dicitur notificans; vel memoriæ, et dicitur commonefaciens; vel etiam fidei, et dicitur obsignans; vel denique istis omnibus simul.

8. Hinc signum sacrum est vel nudum signum, vel etiam sigillum.

9. Nudum signum est, quod tantum repræsenterat: sigillum est, quod non tantum repræsenterat, sed etiam exhibet obsignando.

10. Sigillum fœdus Dei obsignans dicitur sacramentum. Rom. 4. 11.

11. Est enim signum rememorans, demonstrans, prænuncians, lætificans, commonefaciens et obsignans.

12. Sacramentum igitur fœderis novi est institutio divina, qua per sensibilia signa benedictiones fœderis novi repræsenterantur, exhibentur, et applicantur.

13. Hinc sacramentum istiusmodi habet rationem testimonii divini secundarii, quo testimonium illud primum, quod in ipso fœdere continetur, respectu nostri specialiter confirmatur.

14. Hinc illa specialis applicatio favoris et gratiæ Dei, quæ oritur ex vera fide, per sacramenta plurimum confirmatur et promovetur.

15. In sacramento igitur est res sensibilis, et spiritualis.

16. Res sensibilis est signum, vel repræsenterans, vel applicans: res spiritualis est illud, quod repræsenteratur et applicatur.

17. Sacramenti nomine tamen, et usitatè et maximè propriè, res ipsa externa et sensibilis denotari solet.

18. Signa sacramentalia neque inhærentem, neque adhærentem physicè habent rem illam spiritualem ad quam referuntur: sic enim simul essent signa et res significatæ.

19. Neque tamen sunt nuda signa indicantia et repræsentantia, sed rem ipsam communicantia, testificantia, et magis communicandam exhibentia.

20. Hinc nullius est instituere signum istiusmodi sacrum, præterquam Dei solius: quia nulla creatura potest communicare rem significatam, aut communicationem ejus certam nobis reddere, aut denique virtutem illam istiusmodi signis adjicere, qua apta reddantur ad fidem et fiduciam confirmandam, aut gratiam ullam spiritualem in nobis excitandam, magis quam res alia quælibet.

21. Res ipsa, quæ seligitur et separatur ad usum hujusmodi sacrum, dicitur propriè signum repræsentans, ut panis et vinum in cœna: sed usus harum rerum dicitur signum applicans, ut distributio, receptio, comestio, potatio.

22. Hinc sacramenta non existunt propriè extra suum usum, id est, neque antea, neque postea, quam applicantur ad usum suum, revera sunt sacramenta.

23. Res spiritualis, quæ significatur sacramentis novi fœderis, est fœdus ipsum novum, id est, Christus cum omnibus illis benedictionibus, quæ in ipso fidelibus præparantur.

24. Quædam tamen sacramenta magis expressè modum aut respectum aliquem hujus fœderis repræsentant quàm alia, quæ alium aliquem modum magis etiam designant.

25. Sed omnia hoc habent commune, quod integrum fœdus gratiæ fidelibus obsignant; neque istum usum habent eo solummodò tempore dum administrantur, sed ad finem usque vitæ.

26. Forma sacramenti est unio illa, quæ est inter signum et res significatas.

27. Unio hæc non est corporalis, neque tamen est imaginaria, sed est relatio spiritualis, cujus vi res significatæ realiter communicantur illis, qui rectè utuntur signis.

28. Neque enim omnes illi participant rem ipsam spiritualem, qui participes fiunt signorum; neque modus aut medium idem est utraque participandi.

29. Ex hac unione sequitur communicatio prædicationis, qua i°. signum prædicatur de re significata, ut cum sanctificatio cordis dicitur circumcisio; ii°. res significata de signo, ut cum circumcisio dicitur fœdus, et panis corpus; iii°. effectum significati prædicatur de signo, ut cum baptismus dicitur regenerare; iv°. proprietas signi de re significata, ut cum fractio, quæ convenit pani, tribuitur Christo; v°. proprietas rei significatæ tribuitur signo, ut cum esca et potus sacramentalis dicitur spiritualis.

30. Relationis hujus fundamentum originem suam habuit, i°. a similitudine vel proportionem signi ad rem significatam: talis enim similitudo quamvis non constituat sacramentum, prærequiritur tamen ad ea quæ constituunt iisque substernitur quasi fundamentum; ii°. ab institutionis verbo, quod constat mandato et promissione. Mandatum imponit nobis officium creaturis utendi ad finem istum sacrum. Promissio fidem nobis facit, quod

non frustra sic utemur. Hoc autem verbum institutionis distincte applicatum cum precibus accommodatis, dicitur verbum consecrationis, benedictionis, sanctificationis, et separationis. iii°. Perficitur observatione et usu ipso præscripto, cujus tanta vis est, ut ejus defectu, huic aut illi, corpore præsentì, aut recipienti, illud non sit sacramentum, quod aliis est maximè efficax.

31. Finis sacramenti primarius est obsignare fœdus ; idque non ex Dei parte tantum, sed et consequenter etiam ex nostra ; id est, non Dei gratia tantum et promissiones nobis obsignantur, sed et nostra etiam gratitudo et obedientia erga Deum.

32. Mystica igitur signa rerum sacrarum, non possunt ab hominibus institui, sine præjudicio et violatione sacramentorum, quamvis hominis officium tantum designent.

33. Quamvis enim talia signa non sint propriè sacramenta, sunt tamen signa sacramentalia, id est, participant naturam sacramentorum, atque adeo ab hominibus non possunt institui.

34. Finis secundarius est professio fidei et charitatis : repræsentantur enim in usu sacramentorum et unio illa quam habemus cum Deo in Christo et communio illa quam colimus cum omnibus iis, qui sunt ejusdem unionis consortes, præcipuè cum iis, qui sunt ejusdem ecclesie membra.

CAP. XXXVII.

De Ecclesiastica disciplina.

Verbi et Sacramentorum adjunctum est disciplina ; quæ quoad summam rei fuit semper una, atque adeò hoc uno in loco commodè tradi potest.

1. Disciplina sacra est personalis applicatio voluntatis Dei per censuras, ad scandala vel cavenda, vel tollenda ex Ecclesia Dei.

2. In prædicatione namque Verbi, voluntas Dei proponitur, et realiter applicatur ad fidem et obedientiam gignendam et augendam. In sacramentorum administratione, voluntas Dei personaliter etiam applicatur sigillis, ad fidem et obedientiam confirmandam. In exercitio disciplinæ, voluntas Dei personaliter etiam applicatur censuris, ad illa vitia removenda, quæ cum vera fide et obedientia pugnant.

3. Hinc est quod disciplina cum Verbo et sacramentis conjungi solet ab optimis theologis in Ecclesia Dei notanda. Quamvis enim non sit nota simpliciter essentialis et reciproca, sicut neque reliquæ duæ ; ad completum tamen Ecclesiæ statum necessariò debet adesse.

4. Instituta est hæc disciplina et præscripta ab ipso Christo ; Matt. 16. 19. et 18. 15, 16, 17. atque adeo est juris planè divini : neque ab hominibus pro suo arbitrio tolli, minui, vel commutari potest.

5. Imò peccat in Christum auctorem ac institutorem, quisquis non facit quod in se est, ad hanc disciplinam in ecclesiis Dei constituendam et promovendam.

6. Personæ circa quas exerceri debet sunt membra ecclesiarum visibilium institutarum, sine ulla exceptione ; Matt. 18. 15 ; 1 Cor. 5. 11. et non alii : *Ibid.* 12. ad illos enim omnes ac solos pertinet, quorum est sacramenta participare.

7. Ad istas personas applicat voluntatem Dei, id est, spiritualia illa reformationis media, qualia tantum Christus ecclesiis suis dedit. 2 Cor. 10. 4. Pœnæ igitur et vexationes corpore aut bursâ luendæ, nullum omnino locum habent in ecclesiastica disciplina.

8. Peccata et scandala respicit in istis personis : est enim salutaris medela vulnorum ac morborum, quibus oves Christi sunt obnoxie. 1 Cor. 5. 5.

9. Scandala illa prohibet ac tollit : quia Christi voluntatem efficaciter et personaliter applicat ad eorum impugnationem et abolitionem.

10. Quia verò tam efficaciter urget obedientiam erga Christum ; idcirco non sine ratione singulari magna pars regni Christi, prout visibiliter Ecclesiam regit, ab optimis theologis in ista disciplina collocatur.

11. Atque hæc ipsa vera est ratio, cur in tam paucis ecclesiis Christi disciplina, una cum doctrina, solidè constituitur et exerceatur ; quia totum Christi regnum recipere eique se penitus tradere detrectant etiam plerique eorum, qui videri volunt Christum cognoscere, et in ipsum sperare.

12. Sicut autem est pars regni Christi, sic etiam eadem ratione est pars Evangelii ; est enim sanctus modus Evangelii promovendi in ipso Evangelio institutus. Neque igitur totum Christi regnum, neque totum Evangelium recipiunt, qui rejiciunt disciplinam.

13. Quoniam verò et omnis pars regni Christi nobis est suo modo necessaria, et illa imprimis, quæ efficaciter peccatum reprimat; idcirco in ecclesiis disciplina carentibus non satis tutò acquiescitur, nisi publicus ille defectus privata cura et invigilatione mutua resarciatur.

14. Partes hujus disciplinæ sunt correctio fraterna et excommunicatio.

15. Non enim consistit vel tantum vel præcipuè in excommunicationum et anathematum fulmine, sed potissimum in christiana correctione.

16. Neque proprius finis correptionis est, ut aditus inde fiat ad excommunicationem, quamvis per accidens illud nonnunquam sequatur; sed ut excommunicandi necessitas si fieri possit antevertatur, et peccator per maturam resipiscentiam in Ecclesia retineatur.

17. Correctio, increpatio, vel admonitio adhiberi debet in omni peccato, cui disciplinæ medela convenit: sed vario tamen modo, pro varietate occulti et noti peccati. In occultis enim tres illi gradus sunt observandi, quos Christus ordine præscripsit; Matt. 18. 15, 16, 17. in publicis vero talis gradatio non est necessaria. 1 Tim. 5. 20.

18. Admonitiones istæ semper peti debent ex Verbo Dei, non ex placitis humanis: ad conscientiam alias non penetrabunt.

19. Excommunicatio plenaria non est adhibenda, nisi ad peccatum accedat contumacia; Matt. 18. 17. peccator enim ritè admonitus vel pœnitens vel contumax appareat necesse est: pœnitens autem non est excommunicandus: solus ergo contumax.

20. In atrocioribus tamen flagitiis, nec necessaria nec

utilis est tanta patientia et mora ad pœnitentiam expectandam, aut contumaciam discernendam, atque in magis usitatis delictis.

21. Quando res ipsa pati potest moram, Scripturæ ac rationi consentaneum est, ut primo inchoetur excommunicatio per suspensionem vel abstensionem a cena, et similibus ecclesiæ privilegiis, quæ dici solet excommunicatio minor.

22. In istoc tamen gradu non est subsistendum, sed resipiscentia hoc pacto et spatio urgenda, et illa desperata, progrediendum tandem ad segregationem completam a communione fidelium, quæ dici solet excommunicatio major.

23. Quia autem peccator contumax non potest a fidelibus separari, nisi fideles etiam ab ipso separentur, et hoc etiam facit ad eorum salutarem pudorem; 2 Thess. 3. 14. idcirco illi qui legitimè excommunicantur, sunt a communicantibus omnibus vitandi, non quoad officia simpliciter moralia, aut alias necessaria, sed quoad illas conversationis partes, quæ approbationem et interiorem familiaritatem comitari solent; *Os, orare, vale, convivia, mensa negatur.*

24. Ab excommunicationis vinculo nemo non pœnitens debet solvi, neque cuiquam pœnitenti debet negari. Sufficiens autem pœnitentia non est, si quis dicat, *Pœnitent me, non faciam amplius*; et alias veram pœnitentiam non demonstrat: sed talia indicia debent apparere seriæ pœnitentiæ, ut ecclesia teneatur in ipsis acquiescere: alias hypocrisis alitur, et illuditur ecclesiæ, ipsique Christo.

25. In quibusdam tamen peccatis pœnitentia magis

languida, modo vera appareat, potest admitti, quam in aliis.

26. Potestas hujus disciplinæ quoad jus ipsum, pertinet ad ecclesiam illam in communi, cujus membrum est peccator, ad illos enim pertinet ejicere, ad quos pertinet primò admittere: et corporis totius interest ex æquo membrorum conservatio vel amputatio: cum ecclesiæ idcirco consensu, eoque non permittente tantum sed et approbante et constituyente, est executioni mandanda.

27. Presbyterorum tamen partes in actu et exercitio sunt præcipuæ, idque non tantum in publica actione dirigenda, et sententia pronuncianda, sed etiam in admonitionibus præcedaneis, in quibus sarcire debent illud quod a privatis vident neglectum.

28. Pontificum, pontificalium episcoporum, et officialium eorum usitatæ censuræ, merentur ipsæ censuram gravem; sunt enim nominis divini profanationes, iniquæ dominationis fulcra, et alienæ pecuniæ aucupia, non spiritualia remedia talium peccatorum.

29. Indulgentiæ, commutationes et transactiones humanæ in iis ad quæ Christus Ecclesiæ disciplinam instituit, sunt merces magnæ meretricis.

CAP. XXXVIII.

De Administratione Fœderis gratuiti ante Christi adventum.

1. Quamvis gratuitum et salutiferum Dei fœdus unicum fuerit ab initio, modus tamen applicationis Christi, vel fœderis hujus novi administrandi, non semper unus

et idem fuit, sed varius pro ratione seculorum, in quibus Ecclesia fuit collecta.

2. In ista varietate progressus semper fuit ab imperfectiore ad magis perfectum.

3. Primò igitur generaliter et obscurius, deindè verò specialius et clarius manifestatum fuit Evangelii mysterium.

4. Modus hic administrandi duplex est : unus Christi exhibendi, et alter Christi exhibitì.

5. Ad ista enim duo capita primaria Vetus et Novum Testamentum revocantur : Vetus promittit Christum venturum : Novum testatur venisse.

6. Dum Christus adhuc fuit exhibendus, omnia fuerunt magis externa et carnalia, postea magis interna et spiritualia, Joh. 1. 17. *Lex illa per Mosem tradita est : gratia et veritas per Iesum Christum præstita est.*

7. Duplex tamen fuit tum temporis Ecclesiæ consideratio ; i°. qua hæres, et ii°. qua infans erat. Gal. 4. 1. *Quamdiu hæres infans est, nihil differt a servo, quamvis sit Dominus omnium.*

8. Qua hæres, fuit libera : qua infans, modo quodam servilis. *Ibid.*

9. Qua hæres, fuit spiritualis : qua infans, carnalis et terrena. Heb. 9. 10 ; Rom. 9. 7.

10. Qua hæres, spiritum habuit adoptionis : qua infans, spiritum timoris ac servitutis. Rom. 8. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis rursus ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis.*

11. Modus administrationis, qui respicit Christum exhibendum, alius fuit ante Mosem, et alius a Mose ad Christum.

12. Ante Mosem politia ecclesiæ fuit rudis et laxa, tanquam in infantia : tot ecclesiæ visibiles fuerunt, quot familiæ piorum : ministerium fuit perpetuò ferè extraordinarium, per prophetas : patresfamilias et primogeniti jus habuerunt sacra quædam administrandi ut ordinarii ministri, secundum illam directionem quam accipiebant a prophetis.

13. Aliqua tamen differentia dispensationis fuit ab Adamo ad Abrahamum, ab illa quæ post Abrahamum fuit usque ad Mosem.

14. Ab Adamo ad Abrahamum, i°. Redemptio per Christum et ejusdem applicatio promissa fuit in genere, per semen mulieris præstanda, ad opera Diaboli, id est, peccata et mortem solvenda. Gen. 3. 15 ; Rom. 16. 20 ; 1 Joh. 3. 8. *Semen mulieris conteret caput Serpentis. Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros cito. Manifestus factus est filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.*

15. ii°. Vocatio exercebatur in illa distinctione, quæ fuit inter semen mulieris et semen Diaboli ; inter filios Dei et filios hominum. Gen. 6. 2. iii°. Justificationis ratio designabatur per sacrificia expiatoria pro peccatis oblata et acceptata. Eph. 5. 2. *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragantiæ.*

16. iv°. Adoptionem indicabat, et filiorum titulus omnium fidelium tum temporis communis, et Enochi translatio in hæreditatem cœlestem. Gen. 5. 24 ; Heb. 11. 5.

17. v°. Sanctificatio et expresse fuit a prophetis inculcata, et typicè etiam per oblationes et sacrificiorum ritus adumbrata. Jud. 14 ; Rom. 12. 1.

18. vi°. Glorificatio et Enochi exemplo, et Noachi cum familia ipsius a Diluvio conservatione publicè fuit obsignata. 1 Pet. 3. 10, 21.

19. Hac temporum periodo, sacramentum extraordinarium fuit arcæ structura et conservatio in Diluvio. Heb. 11. 7; 1 Pet. 3. 20, et 21. Sacramentum ordinarium nullum fuit; nisi quod in sacrificiis multis aliquid fuerit, quod sacramenti rationem habuit. Quod enim in convivio sacro, in loco sancto, sacrificantes plerumque participes facti fuerint suorum sacrificiorum cum lætitia coram Deo, Exod. 18. 12, hoc obsignabat ipsis aliquo modo gratiam illam fœderis, quæ in sacramentis exhibetur.

20. A tempore Abrahami Ecclesia præcipuè constitit in familia et posteris ejus.

21. In illa temporis periodo, omnia novi fœderis beneficia magis clarè et distinctè testata fuerunt quam antea.

22. i°. Electio repræsentata fuit in personis Isaaci et Jacobi dilectis præ Ismaële et Esavo. Rom. 9. 11, 12, 13.

23. ii°. Redemptio una cum ejus applicatione augustissimè fuit exhibita in persona et benedictione Melchisedechi; in promissione etiam et fœdere de benedictione ad omnes gentes per semen Abrahami perventura.

24. iii°. Vocatio fuit exercita per deductionem Abrahami ex Ur Chaldæorum ad patriam novam, et cœlestem quandam. Heb. 11. 8, 9, 10.

25. iv°. Justificatio illustrata fuit per expressum Dei testimonium, quod fides Abrahamo tanquam patri et exemplari omnium creditorum imputata fuit ad justitiam, et per circumcisionis sacramentum, quod fuit ejusdem justitiæ sigillum.

26. v°. *Adoptio illustris facta est per invocationem nominis Dei super Abrahamum, et omnes filios promissionum, et per assignationem hæreditatis filiis promissionum, genitis ex matre libera per gratiam. Gal. 4. 26, 28, 31.*

27. vi°. *Sanctificatio figurata fuit per circumcisionem, quæ corruptionis peccati et veteris hominis ablationem et abolitionem notabat, ut nova creatura in ejus loco statuatur. Col. 2. 11; Deut. 30. 6.*

28. vii°. *Glorificatio fuit indicata in benedictione promissa et in terra Chanaan, quæ typus fuit patriæ cælestis.*

29. *A tempore Mosis ad Christum hæc eadem omnia insuper fuerunt adumbrata mediis tum extraordinariis tum etiam ordinariis.*

30. *Extraordinariè significata fuit redemptio et ejusdem applicatio, i°. per liberationem ex Ægypto ministerio Mosis tanquam typi Christi, Matt. 2. 15, et per introductionem in terram Chanaan ministerio Josuæ tanquam alterius Christi typi; ii°. per æneum serpentem, cujus intuitu homines moribundi restituti fuerunt sanitati, Joh. 3. 14. et 12. 32. iii°. per nubem, qua ab omnibus tum hostium tum cæli injuriis tegebantur Israëlites, et præterea lucem simul cum refectione virium habuerunt subministratam interdium et nocte; 1 Cor. 10. 2; Esa. 4. 4. iv°. per transitum maris rubri, quo viam stratam habuerunt ad terram promissionis, obrutis et perditis eorum hostibus, 1 Cor. 10. 2. v°. per mannam de cælo et aquam e rupe, unde continuum acceperunt nutrimentum quasi e manu Dei. 1 Cor. 10. 3. et 4; Joh. 6. 32. et 33.*

31. Ordinariè Christus et redemptio per ipsum adumbrata fuit per sacerdotem summum, altaria, et sacrificia pro peccatis.

32. Justificatio ostendebatur sacrificiis multis, ablutionibus, et sacramento Paschatis.

33. Adoptio in primogenitis, qui Deo fuerunt sacri.

34. Sanctificatio in omnibus oblationibus ac donis, nec non in observationibus illis, quæ munditiem aliquam præ se ferebant.

35. Glorificatio per hæreditatem terræ promissæ, et per communionem illam, quam habuerunt cum Deo in sancto sanctorum.

36. Ecclesia Judaica, per Mosem instituta, fuit quoad aggregationem externam unica; quia tota illa communicio solennis, quæ fuit tum temporis præscripta, ab uno templo pendeat, et ibi fuit publica professione et certis ritibus exercenda.

37. Synagogæ non fuerunt ecclesiæ completæ, quia totus Dei cultus, et integra communicio sacra tum temporis præscripta, non potuit in illis exerceri.

38. Ecclesia igitur Judaica fuit nationalis, et aliqua ratione catholica vel universalis, quatenus fideles proelytæ ex omni natione sub cælo tenebantur adjungere sese illi uni Ecclesiæ. Act. 2. 5, 6, 8-11. et 8. 27.

39. Ministri primarii fuerunt sacerdotes ex familia Aharonis, perpetua successionis linea, quibus adjuncti fuerunt reliqui Levitæ. Num. 3. 6-10.

40. Non tamen admissi fuerunt ad ministrandum vel sacerdotes, vel Levitæ, nisi probatione aliqua antecedente, idque prout corpore, ætate et animi donis valebant.

41. Disciplina tum temporis merè ecclesiastica fuit magna ex parte cæremonialis ; ita tamen ut sacra omne genus pura fuerint conservanda.

CAP. XXXIX.

*De administratione Fœderis a Christo exhibitæ
ad finem usque mundi.*

1. Modus administrationis Christo jam exhibitæ duplex est, unus ad finem usque mundi, et alter in ipso fine.

2. A Christo ad mundi finem uniusmodi est administratio, eaque planè nova ; unde etiam dicitur Testamentum Novum.

3. Uniusmodi est sine fine aut alteratione, quia est perfecta ; ita ut non sit expectanda alia, cui locum cederet tanquam perfectiori, sicut Judaica huic tanquam imperfectior concessit.

4. Novum est Testamentum respectu illius, quod fuit a tempore Mosis, et respectu promissionis Patribus factæ, non quoad essentiam, sed quoad modum ; quoniam in illis, quoad modum administrandi, aliqua repræsentatio fuit fœderis operum, a quo hoc Testamentum essentialiter differt : atque adeò, cum integra differentia fœderis novi a veteri non apparuit, nisi in administratione, quæ est post Christum exhibitum ; idcirco hæc administratio maxime propriè vocatur Fœdus ac Testamentum novum.

5. Differt autem ab administratione priore qualitate et quantitate.

6. Qualitas differens, qua pollet, est vel claritas vel libertas.

7. Claritas in eo consistit, primò, quod doctrina gratiæ ac salutis per Christum et fidem in ipsum unà cum ejus annexis magis est distincta et expressa, quam antea fuit: secundò, quod non typis et umbraculis, sed ratione manifestatissima declaratur.

8. Utroque hoc respectu Christus antea propositus dicitur quasi sub velo, sed jam facie aperta et revelata dicitur offerri. 2 Cor. 3. 12. *Multa in loquendo evidentiâ utimur. Nec sumus sicut Moses, qui imponebat velamen faciei suæ, ne oculos defigerent filii Israelis ad finem ejus quod nunc ut inutile tollitur.*

9. Libertas in eo consistit, primò, quod œconomica legis aut fœderis operum contemperatio, quæ in servitute quadam veterem populum detinebat, jam est sublata: unde etiam Spiritus adoptionis, quamvis non planè denegatus fuit unquam fidelibus, maximè propriè tamen communicari dicitur sub isto N. T. in quo status fidelium perfectissimus maximè elucet. Gal. 4. 5. *Postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum, . . . ut adoptionem acciperemus, etc.* Consistit secundò in eo, quod cæremonialis Legis jugum, qua fuit chirographum adversus peccatores, qua rerum sua natura mediarum usum prohibebat, qua onerosas multas earundem observationes imperabat, et qua multiplicibus carnalibus cæremoniis veritatem ipsam obvelabat, jam est planè sublatum. Col. 2. 14, 17. *Quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus est Christi.*

10. Peccant igitur adversus libertatem nobis a Christo partam, qui vel cæremonias Judaicas, vel alias ipsas homogeneas, religiosas, et mysticas, ecclesiis Christianis obtrudunt. Divinæ enim cæremoniæ non sunt sublatae, ut

humanæ in earum locum succederent; neque verisimile est, Christum istiusmodi mysteria arbitrio hominum relicturum fuisse post suum adventum, cum nihil tale permisit veteri populo; præsertim cum tam facili negotio potuisset etiam in isto genere prospicere nobis, si religiosas ac mysticas ullas cæremonias necessarias aut utiles iudicasset suis, præter pauculas illas, quas nominatim præscripsit; aut saltem certis tabulis ostendere, quibus auctoritatem huiusmodi concesserit, quod nusquam fecit. Gal. 5. 1. *In libertate igitur qua Christus nos liberavit, perstate, et ne regredientes implicamini servitutis iugo.*

11. Quantitate administratio hæc differt a priore, et intensivè, et extensivè.

12. Intensivè, primò, quod efficacior est applicatio per Spiritum, et Spiritus dona sunt perfectiora, quam ordinariè fuerunt sub Veteri Testamento, unde comparativè vetus administratio dicitur litera, et nova spiritus. 2 Cor. 3. 6. Secundò, quod vitam procreat magis spiritualem. *Ibid.* 18.

13. Extensivè, primò, quoad locum, quia non contrahitur ad unum aliquem populum, sicut antea, sed per mundum totum est diffusa. Secundò, quoad tempus, quod nullum habet durationis terminum ante totius mysticæ Ecclesiæ consummationem. 2 Cor. 3. 11; Eph. 4. 13. *Id quod manet. Donec perveniamus nos omnes in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi.*

14. Quia autem administratio ista nova est adeo perfecta; idcirco consentaneum est etiam, ut communio sanctorum in Ecclesia sub novo Testamento instituta sit etiam perfectissima.

15. In omni igitur ecclesia N. T. totus Dei cultus

solennis et ordinarius, et omnia ejus instituta sacra possunt ac debent observari, ita ut omnia illius ecclesiæ membra ordinariè simul possint communionem suam in illis exercere.

16. Non enim nunc est, ut in Ecclesia Judaica fuit, a Deo institutum, ut solenniores quædam cultus divini partes in uno loco exerçantur, et aliæ in aliis; sed una particularis ecclesia instituitur, in qua omnia sacra munera sunt obeunda.

17. Hinc omnes ecclesiæ Christianæ sunt unius planè ac ejusdem juris, ut una non magis pendeat ab altera, quam altera ab illa.

18. Hinc etiam maximè conveniens est, ut una particularis ecclesia non constet ex pluribus membris, quam quæ possint in unum convenire ad verbum Dei audiendum, sacramenta celebranda, preces offerendas, et disciplinam exercendam, aliaque divinæ politiæ munera obeunda, tanquam unum corpus.

19. Est enim aberratio quædam, non expers omnis confusionis; quod in majoribus quibusdam urbibus, quamvis plures sint fideles, quam ut simul possint communionem illam exercere, non distribuuntur tamen in varias ecclesias; sed unam efficiunt ita redundare, ut singulorum ædificatio non possit ritè curari ac promoveri.

20. Ecclesia igitur post Christum exhibitum instituta, non est una Catholica, ita ut omnes fideles per totum orbem uno et eodem externo vinculo inter sese conjungerentur, et ab uno et eodem visibili pastore, aut cœtu pastorum penderent: sed tot sunt ecclesiæ, quot sunt cœtus aut congregationes particulares fidem profitentium,

qui singulari vinculo inter se conjunguntur ad communionem sanctorum constanter exercendam.

21. Quamvis enim Ecclesia mystica, prout est in suis membris, non alia ratione distribuitur, quam in adjuncta et subjecta; qua ratione Ecclesiam dicimus Belgicam, Britannicam, Gallicam, sicut mare ipsum, secundum oras quas alluit, dicimus Belgicum, Britannicum, Gallicum, quamvis unum et idem sit mare: Ecclesiæ tamen institutæ sunt variæ species specialissimæ, aut individua eandem communem naturam participantia, sicut fontes varii, variæ scholæ, variæ familiæ: quamvis multæ, aut omnes appellari forsitan possint ecclesia una, ratione unius alicujus affectionis quam habent communem, sicut familiæ multæ illustris alicujus stemmatis, unius familiæ nomine sæpè designantur, ut familia Nassovica, etc.

22. Neque est Ecclesia hæc a Deo instituta propriè nationalis, provincialis aut diocæsana (quæ formæ fuerunt ab hominibus introductæ ad exemplar civilis regiminis, præsertim Romani) sed parochialis, vel unius congregationis, cujus membra inter se combinantur, et ordinarie conveniunt uno in loco ad publicum religionis exercitium.

23. Istiusmodi enim cœtus, et non amplior, proprie significatur per vocem *ἐκκλησία*; neque latiorem habet significationem in toto Novo Testamento, cum refertur ad cœtum aliquem visibilem et designatum; neque etiam apud profanos auctores, qui sunt vetustiores.

24. Hinc variæ congregationes fixæ, ejusdem regionis, ac provinciæ, plurali numero semper appellantur ecclesiæ, non una ecclesia, etiam in Judæa, quæ tota fuit antea una ecclesia nationalis. 1 Thess. 2. 14; Act. 14. 23. et

15. 41; Rom. 16. 4, 5, 16; 1 Cor. 16. 1, 19; 2 Cor. 8. 1, 18, 19; Gal. 1. 2, 22.

25. Ecclesiæ etiam illæ particulares, quæ in Novo Testamento commemorantur, convenire solebant *ἐκ τῶ ἀβραῆ*. Act. 2. 46. et 5. 12. et 14. 27. et 15. 25. et 21. 22; 1 Cor. 5. 4. et 14. 23, 26. et 11. 17, 23.

26. Neque in toto N. T. quicquam legitur de institutione ecclesiæ alicujus amplioris, a qua minores congregationes penderent; neque cultus aliquis aut institutio sacra præscribitur, quæ non est in singulis congregationibus observanda; neque minister aliquis ordinarius constituitur, qui non datur uni alicui hujusmodi cœtui.

27. Ecclesiæ tamen particulares, ut earum communio postulat, naturæ lumen et æquitas regularum et exemplorum Scripturæ docent, possunt ac sæpissime etiam debent confœderationem, aut consociationem mutuam inter se inire, in classibus et synodis; ut communi consensu et subsidio mutuo utantur, quantum commode fieri potest, in iis præsertim quæ sunt majoris momenti: sed ista combinatio neque constituit novam Ecclesiæ formam, neque tollere aut minuere ullo modo debet libertatem ac potestatem illam, quam Christus suis ecclesiis reliquit, cui tantum dirigendæ ac promovendæ inservit.

28. Ministri ordinarii sequuntur Ecclesiæ institutæ formam, atque adeo non sunt œcumenici, nationales, provinciales, aut diocesani Episcopi, sed unius congregationis Presbyteri, qui eodem sensu in Scripturis etiam vocantur Episcopi.

29. Transcendentia illa hierarchiæ membra sunt creaturæ mere humanæ, sine ullo præcepto aut exemplo divino in Ecclesiam introductæ: pastorale officium in

tam varias congregationes non possunt explere : spoliant ecclesias sua libertate, dum in ipsas ecclesias et earum pastores dominium exercent quasi regale, vel potius tyrannicum : introduxerunt secum tanquam caput Antichristum ipsum Romanum, et quasi caudam ejusdem farinae cancellarios, suffraganeos, archidiaconos, officiales, et similia hierarchiæ fulcra (quorum nomina ipsa sunt apocrypha et ecclesiis primis prorsus ignota) ad ecclesias Dei penitus opprimendas.

30. Ministri ordinarii vocandi jus est in ecclesia ipsa, cui debet inservire. Act. 14. 23.

31. Hic tamen opus est directione et auxilio presbyterorum, et ejusdem ecclesiæ et sæpissime etiam vicinarum.

32. Vocationis essentia est in electione ecclesiæ, et acceptione electi.

33. Adjunctum ejus antecedens est examen vel probatio.

34. Adjunctum consequens et consummans est ordinatio, quæ nihil aliud est, quàm solennis quædam introductio ministri jam electi in ipsius functionis liberam executionem : unde factum est, ut *χειροτονία* et *χειροθεσία* apud veteres idem sæpe sonent.

35. Episcopalis ordinatio ministri sine titulo, id est, sine ecclesia cui et in qua ordinaretur, est æquè ridicula ac si quis maritus fingeretur esse absque uxore.

36. Minister ita vocatus ad uni ecclesiæ inserviendum, neque potest illam pro arbitrio suo deserere, aut ab illa rejici sine justa causa ; neque alius ecclesiæ curam similem suscipere, aut illam quam suscepit voluntaria non-residentia negligere, sine sacrilega fœderis violatione.

37. Ministri ordinarii sunt vel pastores et doctores, vel presbyteri regentes, quibus adjunguntur pauperum curam gerentes, id est, diaconi et diaconissæ vel viduæ.

38. Istis muneribus sufficienter prospexit Christus omnibus necessitatibus membrorum Ecclesiæ; ut scilicet instituantur præcipuè in cognitione veritatis per doctores; excitentur imprimis ad praxin pietatis per pastores; conserventur in illo vitæ cursu, et ad pœnitentiam pro peccatis revocentur, per ipsos et rectores; et adversus egestatem adjuventur per diaconos.

CAP. XL.

De Baptismo, et Cœna Domini.

1. Naturam Testamenti Novi sequuntur etiam ejusdem sacramenta; sunt enim numero pauca, paratu et observatu facilia, et significatione sua maximè perspicua.

2. Fuerunt a Christo ipso sanctificata et instituta: quamvis enim a Johanne Baptista sacramentum alterum fuit primò usurpatum, in eo ipso tamen fuit Christi prænuntius, ut ostenderet, quid ipse Christus postea probaret et institueret; neque ordinarii instituti rationem habuit ex ministerio Johannis, sed ex institutione ipsius Christi.

3. Sacramenta ista sunt Baptismus et Cœna Domini; neque enim vel alia sacramenta vel sacramentalia signa fuerunt Ecclesiæ a Christo aut ab ejus Apostolis tradita, neque possunt ab hominibus in Ecclesia constitui.

4. Ratione institutionis divinæ maxima necessitas imponitur fidelibus sacramenta ista diligenter ac religiosè usurpandi. Tam absolutè tamen necessaria non

sunt ad salutem, ut eorum absentia vel privato mera privationem inferat hujus : neque debent eo nomine, vel a non ministris legitimis, vel extra ecclesiasticum cœtum celebrari.

5. Baptismus est sacramentum initiationis aut regenerationis.

6. Quamvis enim totum fœdus gratiæ simul obsignat fidelibus, singulari tamen appropriatione repræsentat et confirmat ipsam nostram insitionem in Christum. Rom. 6. 3. *Baptizati sumus in Christum Iesum* ; et 5. *Una plantati sumus cum eo* ; et 1 Cor. 12. 13. *In unum corpus baptizati sumus*.

7. Quia autem ex prima nostra insitione per fidem in Christum, immediatè sequitur nostræ justificationis et adoptionis relatio ; idcirco Baptismus, ut sacramentum ipsius insitionis, est ad remissionem peccatorum ; Marc. 1. 4, et est etiam repræsentatio adoptionis, dum per illum consecramur Patri, Filio et Spiritui Sancto, et eorum nomina super baptizatos vocantur.

8. Quia etiam ex Christo cui inserimur, sanctitas semper derivatur in omnes fideles, idcirco Baptismus etiam est sigillum sanctificationis. Tit. 3. 5. *Servavit nos per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus Sancti*. Rom. 6. 4, 5, 6.

9. Et quoniam a sanctificatione vera non potest separari glorificatio ; idcirco simul etiam sigillum est gloriæ æternæ. Tit. 3. 7. *Ut hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ* ; Rom. 6. 8. *Si commortui sumus cum Christo, credimus fore ut etiam cum ipso convivamus*.

10. Quia vero ista beneficia obsignantur secundum modum initiationis in Baptismo, hinc primò Baptismus

semel tantum administrandus, quia unicum est initium vitæ spiritualis per regenerationem, sicut unicum est principium vitæ naturalis per generationem.

11. Hinc etiam secundò, iis omnibus debet administrari Baptismus, ad quos fœdus gratiæ pertinet, quia est prima obsignatio ipsius fœderis jam primò initi.

12. Quod autem fidelium infantes non sint ab istoc sacramento prohibendi, apparet ; i°. quia si ullius gratiæ sunt participes, fit illud vi fœderis gratiæ, atque adeo et fœdus et primum fœderis sigillum ad ipsos etiam pertinet ; ii°. quod idem planè sit fœdus quo fideles jam continentur cum illo fœdere, quod pactum est cum Abrahamo, Rom. 4. 11 ; Gal. 3. 7, 8, 9. illud autem expresse etiam extendebatur ad infantes ; iii°. quia fœdus istud, quod jam administratur fidelibus, ampliorem et pleniorum consolationem ipsis adfert, quam olim potuit ante Christi adventum : at vero si ad ipsos tantum pertineret, et non etiam ad eorum infantes ; tum magis angusta et contracta esset gratia Dei, et eorum consolatio, post Christum exhibitum, quam antea fuit ; iv°. quia Baptismus successit in locum circumcisionis, Col. 2. 11, 12. atque adeo pertinet æque ad liberos fidelium, atque ipsa circumcisio ; v°. quia in ipso initio regenerationis, cujus sigillum est Baptismus, homo se habet merè passivè ; unde etiam hominis vel circumcidendi, vel baptizandi nulla actio externa requiritur, ut in aliis sacramentis, sed tantum receptio passiva : infantes igitur sunt æquè capaces hujus sacramenti, respectu præcipui ejus usus, atque adulti.

13. Fides et resipiscentia non magis jam constituunt fœdus Dei, quam tempore Abrahami, qui fuit pater

fidelium ; defectus igitur istiusmodi actorum, non magis jam prohibere debent baptismum infantibus, quam prohibebant tum circumcisionem.

14. Signum in hoc sacramento est aqua, non simpliciter, sed qua purgat immundum, sive immersione sive aspersione.

15. Idcirco autem aqua fuit electa, quia nihil est in usu communi, quod aptius repræsentat ablutionem istam spiritualement, quæ fit per sanguinem vel mortem Christi ; neque ulla re tam commodè exprimitur aspersione vel applicatio sanguinis Christi, cum jam post Christi mortem sanguinis naturalis usus in sacris nullus esse debeat.

16. Cœna Domini est sacramentum nutritionis et autionis fidelium in Christo.

17. Hinc sæpius debet iisdem administrari.

18. Hinc etiam solis iis est administranda Cœna, qui visibiliter capaces sunt nutritionis et autionis in Ecclesia ; atque adeo non infantibus, sed solis adultis.

19. Quia verò plenissimum et perfectissimum nutrimentum obsignatur in Christo ; idcirco non hic unum aliquod et simplex signum nutritionis adhibetur, sed duplicis generis, prout corporis nutritio postulat, panis nempe et vinum.

20. Detrahunt igitur sapientiæ divinæ, institutionem Christi mutilant, et consolationem fidelium graviter minuunt aut tollunt, qui alterum horum signorum auferunt fidelibus in administratione Cœnæ.

21. Idcirco autem panis et vinum adhibentur, quia post carnis comestionem, quæ in sacris non habet locum Christi sacrificio jam peracto, et sanguinis potum, a quo non religio tantum, sed et natura humana abhorret, nihil

convenienter magis exprimit arctissimam illam unionem, quam gradatim consequimur cum Christo, in corporis ejus immolatione et sanguinis effusione fundatam.

22. Transubstantiationem, aut consubstantiationem aliquam fingere in istoc sacramento, magis quam in Baptismo, est cæcæ cujusdam et stupidæ superstitionis.

23. Ad spiritualem enim nutritionem in istoc sacramento non requiritur, ut panis et vinum mutantur in corpus et sanguinem Christi, neque ut Christus sit corporaliter cum ipsis præsens; sed ut relativè tantum mutantur, quoad applicationem et usum, et Christus sit spiritualiter præsens iis, qui ex fide participant.

24. Pugnât hæc transubstantiatio, et consubstantiatio cum natura sacramenti in genere, cum analogia alterius sacramenti nostri, vel Baptismi, cum phrasibus usitatissimis in Vetere Testamento, cum humana natura Christi, cum statu ejus glorificationis, et cum voluntate Dei revelata, qui dixit Christum in cœlis mansurum usque ad diem judicii.

25. Quod attinet ad verba institutionis, *Hoc est corpus meum*, necessario sunt intelligenda sicut aliæ phrases sacramentales, quæ in sacris Scripturis ubique occurrunt, quarum interpretem luculentum habemus Deum ipsum. Gen. 17. 10, 11. *Hoc est fœdus meum. Ut sit signum fœderis inter me et vos.*

26. Quoad modum explicandi verba hujus phrasid secundum artem, variant inter sese viri docti. Plerique omnes nostri volunt esse tropum in verbis, id est, metaphoram vel metonymiam.

27. Lutherani contendunt, nullum hic tropum inveniri, sed prædicationem tantum inusitatam.

28. Non desunt pauci quidam novi, qui negant vel tropum aliquem proprium haberi vel prædicationem inusitatam; sed impropriam et mysticam statuunt prædicationem.

29. Sed nulla sufficiens ratio adfertur, quare negemus esse tropum in verbis: quod sic demonstrari potest: Si sit prædicatio inusitata, vel impropria, ut illi volunt, hæc inusitata vel impropria ratio debet aliquo verbo ostendi, quod si fiat, tum necesse est, ut illud verbum transferatur aliquo modo a nativa sua significatione, et usu: id si fiat, tum verbum induit naturam et definitionem tropi.

30. Tropus autem neque est in antecedente articulo, *hoc*, neque in copula propriè ut in verbo, *est*, sed in consequenti, id est, in verbo, *corpus*. Corpus enim ponitur pro signo corporis, non ut corpus verum et proprium excludatur ex ista sententia, sed includatur potius per relationem, quam habet signum ad rem signatam.

31. Tropus autem non unicus est, sed triplex in hoc verbo. Primus est metaphora, qua unum simile pro altero ponitur, cui adhæret et commiscetur metonymia adjuncti; panis enim non tantum similis est corporis Christi, sed etiam per institutionem Dei fit ejus adjunctum: secundus est synecdoche partis pro toto, qua corpus Christi ponitur pro toto Christo: tertius est metonymia subjecti pro adjunctis, quod Christus ponitur pro omnibus etiam beneficiis illis, quæ a Christo in nos derivantur. In altera parte de vino sunt etiam alii tropi satis manifesti.

CAP. XLI

De Fine Mundi.

1. Hactenus de administratione quæ est ante finem mundi: in ipso fine applicatio illa perficietur, quæ in istac vita tantum inchoatur.

2. Tum vocationis finis vocatis omnibus aderit: vocamur enim ad gloriam æternam Dei, 1 Pet. 5. 15. qua etiam fidei finis dicitur contineri, id est, salus animarum. 1 Pet. 1. 9.

3. Tum justificationis et redemptionis declaratio illa quæ est per effecta erit completa, cujus ratione dicuntur fideles in istac vita expectare redemptionem. Luc. 21. 18; Rom. 8. 23; Eph. 1. 14.

4. Tum adoptati omnes possessionem ipsam hæreditatis adibunt, quo sensu dicuntur fideles in istac vita adoptionem suam expectare. Rom. 8. 23.

5. Tum Dei imago in sanctificatis omnibus perficietur. Eph. 5. 27. *Ut sisteret eam sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta, et inculpata.*

6. Tum denique gloria et beatitudo sperata omnimoda plenitudine fulgebit, non tantum in anima, sed etiam in ipso corpore. Phil. 3. 21. *Transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso.*

7. Quia autem Ecclesiæ status tunc temporis erit status perfectionis, non ædificationis; idcirco ministerium, sacramenta, et disciplina, una cum ecclesiis ipsis institutis cessabunt, et Ecclesia mystica manebit in immediata communione cum Deo.

8. Hinc etiam finis iste mundi ab omnibus fidelibus cum desiderio debet expectari. Phil. 3. 20; Tit. 7. 13. *Servatorem expectamus Iesum Christum. Expectantes beatam illam spem, et illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei et Servatoris nostri.*

9. Finalis hæc administrationis perfectio postulat adventum et præsentiam personalem ipsius Christi. Act. 10. 42.

10. Adventus Christi secundus in eo similis erit priori, quod realis, visibilis, et apparens erit, Act. 1. 11. sed in eo dissimilis, quod erit, i°. cum summa gloria et potentia, Matt. 24. 30; Tit. 2. 31. ii°. cum maximo terrore respectu improborum, et cum maximo gaudio omnium piorum. 2 Thess. 1. 7-10.

11. Hinc ultimæ discretioni inter pios et impios duo actus inserviunt: resurrectio et iudicium ultimum. 2 Cor. 5. 10.

12. Resurrectio est ejus quod cecidit: quia verò homo cecidit a vita, per separationem animæ a corpore, idcirco ut resurgat, necesse est eandem animam reuniti denuò eidem corpori, ut ex utriusque unione redintegrata idem homo existat.

13. Istiusmodi resurrectionem esse Deo possibilem apparet: quoniam hujusmodi hominis reparatio non superat illam potentiam, quæ in ejus prima creatione fuit manifestata. Phil. 3. 21. *Pro vi illa efficace, qua potest sibi subicere omnia.*

14. Quod autem hæc resurrectio sit actu futura, per rationem aliquam naturalem non potest certò demonstrari, neque a priore neque a posteriore; sed est propriè de fide.

15. Neque animæ, neque corporis natura potest esse causa resurrectionis : reformatio enim et resuscitatio corporis ex pulvere est contra solitum naturæ cursum, quæ quum perfectè destruitur, non solet eadem reparari ; et inseparabilis unio animæ cum corpore per quam homo redditur immortalis, est supra vires naturæ.

16. Resuscitatio igitur mortuorum convenit propriè Christo *θεανθρώπου* : principium ejus est divina Christi omnipotentia, qua facilè perfeci potest, etiam in instanti.

17. Angelorum ministerium non erit propriè ad mortuos resuscitandos, sed ad collectionem partium resuscitandorum, et ad congregandos jam resuscitados.

18. Quamvis autem resuscitabuntur omnes a Christo, non una tamen et eadem ratione : resurrectio enim fidelium est ad vitam, et perficitur virtute unionis illius quam habent cum Christo, ut vita sua, Col. 3. 4 ; 1 Thess. 4. 14. et operatione Spiritus ejus vivificantis, qui habitat in ipsis. Rom. 8. 11. *Vivificabit etiam mortua corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.* Aliorum autem resurrectio est per potentiam illam Christi, qua justitiam vindicantem exsequitur.

19. Resuscitatio igitur fidelium est a vita Christi, tanquam a principio, ad vitam ipsorum, tanquam fructum et effectum ; atque idcirco vocatur resurrectio vitæ : et aliorum resuscitatio est a sententia mortis et condemnationis, ad ipsam mortem et condemnationem ; ideoque vocatur resurrectio condemnationis. Joh. 5. 18, 29.

20. Judicium ultimum exercetur a Christo, tanquam a rege : potestas enim judicandi est pars muneris regii.

21. Respectu fidelium provenit a gratia, et est functio regni gratiæ Christo Mediatori essentialis, sed respectu

infidelium, est potestatis tantum ac domini a Patre concessi, spectans quidem ad mediationis aliquam perfectionem, sed non essentialem.

22. Hinc fidelium peccata non prodibunt in iudicium : quum enim in istac vita per sententiam justificationis tecta sunt et ablata, et ultimum illud iudicium confirmatio erit et manifestatio ejusdem sententiæ, non esset consentaneum, ut in lucem denud tum temporis proferrantur.

23. Locus hujus iudicii erit in aëre. 1 Thess. 4. 7.

24. Dies aut annus ejus non est in Scripturis revelatus, atque adeo non potest ab hominibus designari.

25. Sententia statim implenda feretur de vita aut morte æterna, secundum opera prægressa.

26. Sententia autem vitæ, respectu electorum feretur secundum opera, non tanquam causas meritorias, sed tanquam effecta de veris causis testificantia.

27. Sed sententia mortis, respectu reproborum, feretur secundum opera eorum, tanquam veras causas.

28. Christus *θεάνθρωπος* iudex est quasi delegatus : ratione tamen auctoritatis ac potestatis divinæ quam habet, et a qua pendet sententiæ robur, iudex est principalis.

29. Fideles etiam cum Christo iudicabunt assistentes, non consulentes, sed approbantes, tam iudicio et voluntate, quam suæ vitæ ac operum comparatione.

30. Iudicium feretur non tantum de hominibus impiis, sed etiam de angelis malis. Resuscitatio igitur et iudicatio impiorum hominum per Christum habenda, non magis arguit universalem redemptionem talium hominum, quam dæmonum.

31. Ignis purgando et innovando mundo destinatus non antecedit iudicium, sed sequetur.

32. Purgatorium non magis est necessarium ante diem iudicii, quam postea : cum igitur postea nullum erit, fatentibus ipsis Pontificiis, neque antea jam existit ullum.

33. Elementa non erunt sublata, sed mutata : non enim coelos alios, et terram aliam, sed coelos novos et terram novam expectamus. 1 Pet. 3. 13.

34. Christus etiam post diem iudicii manebit Rex et Mediator in æternum : non enim sic tradet regnum Patri, 1 Cor. 15. 24. ut ipsemet cesset regnare ; sed ut Patri repræsentet regnum suum completum, quale mansurum est in æternum.

LIBRI PRIMI FINIS.



